gotow.

Wyścin

J. A. Evenkelius : De privilegiis
1607

DE SVBVRBICARIIS REGIONIBVS & ECCLESIIS:

SEU, de

PRAEFECTURAE,

ET

EPISCOPI

URBIS ROMÆ

DIOECESI,

CONIECTURA.

FRANCOFURTI,

Apud JOHAN: Carolum Unckelium.

ANNO CIↃ IↃC XVIII.

CANDIDE
LECTOR

FInium Regundorum, seu mauis, Juris Terminalis disciplinam necessariam cumprimis, ubi Ambitioni minimùm licere oportet, experta est iam olim Catholica Sanctiorq; Ecclesia. Huic proinde data subinde opera, ut si quando Diœceseos alicuius terminos longior ætas, ceu fluminis impetus, aliave quæ causa turbasset, disiecisset, veteris determinationis rationem servatam, restitutam unicè cuperet. Hinc Nicæni Concilii effatum istud, τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω: Constantinopolitani, μὴ ὑπερορίοις ἐπιέναι: Ephesini, ἔθος ἀρχαῖον παρακολουθεῖν: Aliorum, μὴ ἐπιβαίνειν ἀλλοτρίῳ.

Et quanquam non adeò proclive, his qui diutini sese temporis possessione tutos abundè putant, persuadere, Alieno Ut Abstineant, &

Vivant contenti casulis & Collibus istis:

Ad officium Viri boni tamen pertinuit ſemper, finalia iurgia arbitrio ſuo dirimere, fineſque declarare: *Veritatem quippe*, & hac parte, *ſupprimas an opprimas, iuxta puto.* Itaque viſum & mihi nunc, hanc de Suburbicariarum Regionum Eccleſiarumq; terminis Coniecturam meam publicis oculis ſubiicere: intereà dum plura certiorave hæc ſive ſequens ætas proferet. Nam quæ de his hactenus circumferuntur, & diſconveniunt, & neſcio an cuiquam viſa ſint ſatis. Mihi certè non indignum videri debuit argumentum, qui Maximos in eo viros deſudaſſe comperi. Qui leviora quædam ſectatum me putabit, is ſic æſtimet velim, finium regundorum arbitros, (quos priſca ætas *ſodales arvales* quoque dixit) ſuppoſitos etiam terminis carbones, teſtas, vitreaque fracta ſtudioſè inveſtigare.

BREVIS

BREVIS SVPERIORIS TABULÆ ENARRATIO.

VETVS ECCLESIA, *Ordinis ſeu εὐταξίας ſtudioſiſſima, ſicut in Republica Romana conſtituta erat, ita πολιτείαν quoq; ſuam, &* EPISCOPORUM *nominatim* dignitatem, gradus, *atq;* Diœceſes *ad civilem eiuſdem Reipublicæ Romanæ typum & formam conſtituit. Sic itaq;, totius Orbis conſenſu, definitum olim:* τοῖς πολιτικοῖς καὶ δημοσίοις τύποις καὶ τῶν Ἐκκλησιαστικῶν ἡ τάξις ἀκολουθείτω, *i.* civiles & publicas formas Eccleſiaſticus quoque Ordo conſequatur: *ut habetur Oecumenici Concilii Calchedonenſis canone decimo ſeptimo.*

Primum igitur: quemadmodum Civitates *quædam in Imperio Romano* DIGNITATE *aliis prælatæ fuêre, ac proinde & earum quoque Civitatum Magistratus primas inter alios tulêre: Ita & Episcopis pariter, iuxta earundem civitatum dignitatem, maior quæsita Auctoritas fuit. Proinde, quia urbs* ROMA, *totius Orbis Romani* REGINA, &, *ut Athanasius loquitur*, τῆς Ῥωμανίας μητρόπολις, *eiusdemque adeò civitatis Præfectus (ut quidam ait)*

—facies toto Orbe secunda

erat, factum hâc causâ, neque aliâ, ut eiusdem Civitatis Episcopus Auctoritate, seu dignitate & Ordine, cæteris Episcopis omnibus potior & κορυφαιότατος *habitus fuerit:* διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην: *nempe,* quòd urbs Roma cæterarum REGINA foret, *ut eodem Concilio Calchedonensi habetur: seu, ut alius hanc rationem effert,* ob Romanæ Civitatis Dignitatem: *Et huius certè* Principalis confessionis *occasione idem Episcopus oppreßâ paulatim collegarum libertate, Imperium tandem* εἰς ὑπερῷον *extulit.*

Secundò, quemadmodum in Imperio Romano VARII Magistratuum GRADUS *extitère: Aliis quippe Civitates seu municipia singula: quibusdam, solidæ provinciæ: aliis denique plures regendæ commis-*

commissæ fuere (quæ quidem iuncta plurium provinciarum administratio DIOECESEOS *appellatione comprehendebatur :* διοίκησις, *ait Balsamo ,* ἐστὶν ἡ πολλὰς ἐπαρχίας ἔχουσα ἐν ἑαυτῇ, DIOECESIS est, quæ multas sub se provincias complectitur , *Qualis erat* Vrbicaria *Diœcesis seu Præfecti urbis Romæ , & Alexandrina seu Præfecti Augustalis) Ita & in Ecclesiâ , per Orbem Romanum diffusâ , Episcoporum Gradus varios iam olim constitutos notare licet. Præter singularum quippe Civitatum Episcopos, Episcopis quibusdam provinciæ singulæ, plures aliis cessêre. Et hæc quidem Ecclesiastica plurium provinciarum administratio ,* DIOECESIS *pariter &* Patriarchia, *at Episcopi ipsi,* Diœceseon Exarchi , PATRIARCHÆ *item, ut &* Primates *dici meruêre.*

PATRIARCHARUM *igitur Diœceses ad Civilium Diœceseon formam & typum constitutas ex superioribus in universum liquet. Et hoc quidem exemplo Alexandrini Episcopi seu Patriarchæ Diœcœsis per omnes Alexandrinæ seu Ægyptiacæ Præfecturæ & Diœceseos provincias antiquo sese more diffudit :* ὥστε αὐτὸν *(ait* NICÆNI *Concilii Oecumenici primi Canon sextus)* ΠΑΝΤΩΝ ΤΟΥΤΩΝ ἔχειν τὴν ἐξου-

διαν. *i.* ut is omnium harum poteſtatem ſeu curam haberet. *Simili prorſus* MORE *ſeu conſuetudine* SPECIALIS *Epiſcopi Romani Diœceſis olim firmata fuit : per omnes, inquam, Præfecturæ ſeu Vrbicariæ Diœceſeos provincias:* ἐπειδὴ *(ſubiicit prædictus ille Nicæni Concilii, habiti A. D. 325, Canon)* καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ Ἐπισκόπῳ τοῦτο συνηθές ἐστιν *i. (ut Gratianus Decreti compilator hæc verba interpretatur)* quandoquidem ET Epiſcopo Romano PARILIS MOS eſt, *ſic, ut uterque, Præfectus, inquam, & Epiſcopus urbis Romæ, eiuſdem Diœceſeos, Vrbicariæ videlicet,* διοικητὴς *ſeu adminiſtrator eſſet : ille,* ἐν κοσμικοῖς *i.* in ſecularibus: *hic verò,* ἐν Ἐκκλησιαστικοῖς *i.* in Eccleſiaſticis.

Cæterum, Præfecti URBIS *Diœceſin ad centeſimum ab Vrbe Româ miliarium (ſeu 750. ſtadia, quod idem eſt) procurriſſe cuivis iam notum eſſe poteſt. Intra quod quidem ſpatium plures ſive regiones ſive provinciæ fuere : his fermè nominibus (ab urbe ipſa, cuius Diœceſi ſuberant) deſignatæ,* SUBURBICARIÆ, URBICARIÆ *(ſic enim promiſcuè appellantur) &* SUBURBANÆ: *Eæq; diſertiſſimis verbis ab Africa, Sicilia, Illyrico, Galliis, priſcos apud Legumlatores & ſcriptores diſtinctæ.*

Imò

Imò & ab ITALIA *quoque. Observandum enim diligenter, in Italiâ generalius (ut etiamnum fit) acceptâ, duas olim fuisse Diœceses:* Urbicariam *videlicet unam, intra centesimum, (ut modo diximus,) ab urbe miliarium: Alteram verò speciali* ITALIÆ *nomine designatam, cuius scilicet Metropolis* MEDIOLANVM *erat.*

Fuêre autem Suburbicariæ istæ Regiones seu provinciæ numero QVATVOR*: his scilicet nominibus:* 1. TVSCIA. 2. PICENUM (*non quidem integræ duæ illæ, sed pars utriusq; provinciæ tantùm, quæ & ideò* Suburbicaria, *ad Tusciæ & Piceni* Annonarii *differentiam cognominata*) 3. LATIUM *vetus* 4. LATIUM NOVUM *seu Adiectum, quod Sinuessam vel Safonem fluvium Campaniam usq; procurrebat.*

Ordinaria igitur & antiquissima Præfecti Urbi Diœcesis ista fuit: Eadem proinde & Episcopi Romani (quem URBICUM *Papam Paulinus appellat) Nam & huius pariter administratio non urbe Româ inclusa, verùm per omnium illarum* QUATUOR VRBICARIARUM *seu* SUBURBICARIARUM *regionum* ECCLESIAS *producta fuit. Itaq; felicissimè Rufinus (Nicæni Concilii temporum proximus) prædictam Canonis Nicæni sexti, de Episco-*

pi Romani Diœcesi, sententiam sic expreßit: Ut, *inquit*, SUBURBICARIARUM ECCLESIARUM solicitudinem gerat.

Et hæc sanè Episcopi Romani Diœcesis, etsi Amplitudine quibusdam Diœcesibus aliis cederet, omnibus tamen Dignitate seu Auctoritate prælata, MAIORQ; *haberi diciq; meruit: utpote, in quâ* ROMA *ipsa totius Orbis Romani vertex,*

Cui par nihil, & nihil secundum, *foret.* τίς γὰρ ὁμοία τῇ πόλει μεγάλῃ, ecquæ *enim* quæso similis MAGNÆ urbi illi?

Porrò, ne quis hîc hæreat aut erret, notandum, suâ quamlibet & speciali, prout diximus, cuique Episcoporum seu Patriarcharum Diœcesi attributâ, omnibus tamen in commune UNIVERSALIS *quoq;* ECCLESIÆ *curam incubuisse,* πάντων κηδεμονίαν & τὴν Καθολικὴν Ἐπισκοπὴν *singulis concreditam: ne quod videlicet (errantibus aut conniventibus fortè collegarum &* συλλειτουργῶν *quibusdam) Ecclesia (cuius corpus* ἡνωμένον, *unoq; velut spiritu continetur) detrimentum caperet. Hinc adeò quanto Sanctior quisq; vel Auctoritate sedis aut Urbis potior, laboranti sicubi Ecclesiæ opem ferre, hortari, suadere, subvenire, ab aliis consuli, consulere invicem ipse,*

& con-

& consilium admittere. Communis hæc priscæ Ecclesiæ Lex & Charitas fuit: universali, inquam, Ecclesiæ prodesse, non præesse. At hoc, sive alio, prætextu procurrentem quorundam Episcoporum dominandi, ἐν ὑπερορίοις *Ecclesiis, lubidinem repreßit sanctior semper Ecclesia. Certè, ut Antiocheni Episcopi ambitioni* EPHESINO *Concilio obviam itum, ita & Romano Episcopo ab Orientalibus, Africanis, Gallicanis Patribus fibula sæpius imposita fuit: scilicet,* τὸν καπνώδη ΤΥΦΟΝ τοῦ κόσμου εἰσάγεσθαι τῇ τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησίᾳ, *i.* FUMOSUM MUNDI seu sæculi TYPHUM in Ecclesiam Christi induci *nolentibus.*

Brevis è superioribus hæc causæ coniectio nascitur: Veterem Ecclesiam ORDINEM inter Episcopos induxisse, Dignitate videlicet, Gradibus & Diœcesibus eorum ad Civilis Administrationis typum constitutis: UNIVERSALIS etiam Ecclesiæ singulis curam suo quodam modo indixisse: At TYPHUM & IMPERIUM hoc, sive illo, prætextu in Ecclesiam induci noluisse, quin potius seriò damnasse.

Viderint itaque iam qui Regnum & Monarchiam in Ecclesia somniant, quique in commune consulere, aut ipsi, quasi ἀνενδεεῖς καὶ ἀναμάρτητοι, *Consilium aut Concilium admittere nolunt, quo iure*

iure ſe moresq́; ſuos deinceps tueantur: Niſi illud occentare pergant, κάθημαι βασίλισσα καὶ χήρα οὐκ εἰμὶ, καὶ πένθος οὐ μὴ ἴδω, *i.* SEDEO REGINA nec ſum VIDUA, nec luctum videbo.

NE TRANSGREDIARIS TERMINOS antiquos poſitos à Patribus tuis. Proverb. 22.

DE



AEMILIA
FLAMINIA
PICENVM
VMBRIA
ITALIA
Regium
Bononia
Ravenna metrop. Flaminiæ
RVBICO Fl.
Ariminum
FLAVIA FANESTRI Seu Fanum Fortunæ Metrop. Piceni Annon.
Forum Sempronii
Vrbinum
Ancona
Auximum
Potentia
Firmium
Pistoria
Sentinum
Matelica
Septempeda
Tolentinum
ANNONARIVM
FLORENTIA Metrop. Tusciæ Annonariæ à Roma M.P.CLXXX
FINES siue Casa Cæsariana
Arretium
Cortona
FINES seu ad Statuas
Perusium
Eugubium
CENTESIMVS
Nuceria
Prolaquæum
Camarinum
TRVENTIVS Fl.
Asculum
Pisa
TVSCIA ANNONARIA
FINES
Adria
CENTESIMVS
Aterni ostia
Meuania
SPOLETIVM Metrop. Piceni Suburbicarii
Clusium à Florentia M.P. 81.
III. TVSCIA SVBVRBICARIA
IV. PICENVM SVBVRBICARIVM
Vicus Vatia
Angulum
Amiternum
Theate
VALERIA
FINES Piceni & Tusciæ
Falacrinum
Volaterra uada
Narnia
Interamnia
Interocrium
Interbromium
Vetulonienses
Populonia
Portus Traianus
Ocriculum
Rcate
Sulmo ab urbe M.P. XC.
Corfinium
ALMA Fl.
Vulsinia
Faliscum
Alba Fucentia
PRÆF. & EPIS COP. VRBIS ROMÆ
Forum Cassii
Forum Claudii
Tybur
Alba
VMBRO Fl.
Caput Etruriæ
Telamonis portus
Sutrium
SAMNIVM
Samnium
Herculis portus
Graviscæ
Martha
I. LATIVM VETVS
Præneste
Æsernia
Centumcellæ
Alsium
ROMA
Aricia
Anagnia
Ferentinum
VENAFRVM Metrop. Samnii
Turres
Fregena
Portus VR
Tres Tabernæ
NOVVM
Casinum
Aquinum
TYBERIS Fl.
Ostia
Laurentum
Ardea
Antium
Appii forum
Beneuentum
Astura
II. LATIVM
CAMPANIA
Claustra Romana
Terracina Sinuessam M.P. XLIII
Feronia
Fundi
Pons Campanus
Caieta
Formiæ
Minturnæ
Sinuessa
CIRCAEVM Promont.
LIRIS Fl.
SAVO Fl.
VVLTVRNVS Fl.
CAPVA Metrop. Campaniæ
Misenum
Neapolis
10 20 30 40 50 34 10 20 30 40 50 35 10 20 30 40 50 36 10 20 30 40 50 37 10 20 30 40 50 38 10 20 30 40 50

DE REGIONIBVS SVBVRBICARIIS.

DISSERTATIO PRIMA.

CAPVT I.

PRÆFECTI VRBI *dignitas. Appellatum ad eum ex omnibus Orbis Romani provinciis aliquando: sub Constantino M. adhuc. Ut immutatum id, & qua occasione. Nudum Appellationis ius, à Diœceseos iure distinctum. Dio, Statius, Aristides explicati, ab Interpretum & aliorum erroribus vindicati.*

VRBEM ROMAM, (sicut ego didici) ab Augusto inde Imperatore suus Præfectus, non in tempus iam, & extraordinarius ut anteà Magistratus, verùm continuâ potestate seu ordinarius regere cœpit. Tacitus, *lib. 6. Annal.* Suetonius, *Octavio cap. 37.* Dio, *lib. 52. p. 547.* Eusebius, *Chronico*, aliiq; auctores. Eâ quidem dignatione, sive dignitate, ut quemadmodum Urbs Roma Imperii caput, seu τῆς Ρωμανίας (*Romanitatem*

alicubi dixit Tertullianus) *μητρόπολις* erat, ut Athanasius, *in epistola ad solitariam vitam agentes p. 644.* loquitur, ita & ad eiusdem Urbis Romæ Præfectum, *Senatusque* Romani Præsulem & Senatum, ab OMNIBUS Imperii Rom. provinciis appellatum aliquando veteres memoriæ contestentur. Primum enim eiusce rei Mecænatem Augusto auctorem facit Dio, *lib. 52. p. 547*: sic enim apud eum Mecænas ipse: πολίαρχος δέ τις ἀποδεικνύσθω, ἵνα τά τε παρὰ ΠΑΝΤΩΝ ὧν εἶπον ἀρχόντων ἐφεσίμους τε καὶ ἀναπομπίμους κρίνῃ. Quem locum feliciter parum diligens alioquin interpres expressit. Et Suetonius tamen, *in v. Neronis, cap. 17. ut appellationes OMNES à Iudicibus ad Senatum (ac proinde senatus præsulem Pf. v.) fierent* sub Nerone primùm cautum fuisse, scribit. Quisquis hoc ius fundaverit, eius certè sub Domitiano mox meminit & Statius *Sylvarum lib. 1. in Soterio, pro Rutilio Gallico Præfecto Vrbi,* his versibus

Ergò alacres (quæ signa colunt urbana) cohortes
Inque sinum, qua sæpè tuum fora turbida questu
Confugiunt, Legesque VRBESQUE VBICVNQUE TOGATAE,
QVAE TVA LONGINQVIS IMPLORANT IVRA QVERELIS.

Togatarum enim *ubicunque urbium* appellatione OMNES omninò, quæ sub Orbe Romano fuêre, Statius intellexit, non *Suburbicarias* tantùm (quod parum) ut viris doctissimis hactenùs placuisse video. Fidem dictis adstruent, præter superiores Dionis, Suetonii locos, hæc, insuper ex priscâ Senatus ipsius Romani ad Curiam Carthaginensem epistolâ: referente Vopisco, *in vitâ Floriani. OMNIS*, inquit, *provocatio Præfecti Vrbis erit, quæ tamen à Proconsulibus & ab Ordinariis iudicibus emerserit.* Item illa, ex alterâ eiusdem Senatus ad Curiam Treverorum: *Præfecturæ*, inquit, *Vrbana appellatio VNIVERSE decreta est.* Postremùm, ex privatâ eiusdem temporis Tiberiani cuiusdam epistolâ: *Redierunt*, inquit, *ad Præfectum Vrbis appellationes OMNIVM potestatum, OMNIVM dignitatum.* Addatur in eam rem & hic tandem Aristidis locus, *in Vrbis Romæ encomio p. 362.*

ἐκκλήτοις,

ἔκκλητοι, inquit, ὥσπερ ἔφεσις ἐκ δημοτῶν ἐς δικαστήρια, σὺν οὐκ ἐλάττονι τῶν δεξαμένων φόβῳ περὶ τῆς κρίσεως ἢ τῶν ποιουμένων γίγνονται. ὥστε φανῇ τις ἂν τοσαῦτα ἄρχεσθαι τοὺς νῦν ὑπὸ τῶν πεμπομένων, ὅσα ἂν αὐτοῖς ἀρέσκῃ. i. *Appellationes, (puta provocatio, quæ fit à provincialibus ad SENATUM) non minore suscipientium, quàm interponentium appellationes de iudicio metu fiunt: Proinde, videntur provinciales Rectoribus tantum subesse, quantum ipsi voluerint.*

Et hæc quidem quæ diximus ita servata, quandiu sua, vel potissima certè, sub moderatis Imperatoribus Senatui Romano, & sua proinde Senatus Præsuli (Præfecto Urbi inquam) dignitas constitit: Certè, sub Constantino M. adhuc: ut ostendit eius constitutio ad Julianum P. V. Codice Theodosiano: quæ est *lex 13. de appellationibus. Nonnulli Iudicum*, inquit, *Inferioris gradus a sententiis suis interponi provocationis auxilium ægrè ferentes, id efficiunt &c. Igitur volumus, cùm ab eorum sententiis fuerit provocatum, super ea quæstione GRAVITATIS TUAE: cui nostram vicem commisimus, SACRUM AUDITORIUM expectari.* Verùm, imminutâ paulatim moxq;, unà cum Senatus Romani, Præfecti Urbi quoq; Maiestate; parte aliâ, auctâ Palatinorum, seu Principis Magistratuum, ac Præfecti Prætorio maximè potestate, tantùm abest, ex OMNIBUS iam & longinquis provinciis Appellationum ius OMNE Præfecto Urbi competierit, ut ne intra Italiam quidem omnem id ei relictum pro comperto habeam. Insignis verò eam in rem Constantini Imp. ad Taurum Præfectum Prætorio Italiæ Constitutio, data Anno Domini CCCLVII. quæ est lex 27. *Cod. Theod. de appellat. De Sardiniâ*, inquit, *Siciliâ, Campaniâ, Calabriâ, Brutiis & Piceno, AEmiliâ & Venetiâ, & cæteris Italiæ provinciis, interpositas appellationes*, (an omnes?) *laudabilis sublimitas tua more solemni debebit audire, competenti appellatione* (cognitione) *terminãdas. Nec verò ulla poterit esse confusio: Præfectus enim Urbis, nostrâ responsione conventus, PRAEDICTIS COGNITIONIBUS* (appellationum?) *temperandum sibi esse* (deinceps.) *cognovit.* Errat enim humaniter Vir Doctus, qui provincias hâc l. expressas suburbicariis con-

numeratas putat, ut ex huius Diatribæ capite quarto, quintoque liquido postea constabit. Et exceptæ tamen, attributæq; semper, sive relictæ Præfecto Urbi provinciæ nonnullæ, è quibus scilicet ad eum appellaretur. Præter Novellam Valentiniani (*inter Theodosianas, 23. de tributis fiscalib. sub finem*) Cassiodorus, *6. variarum, in formulâ Præfecturæ urbanæ 4. Ditioni tuæ*, inquit, *non solùm Roma commissa est: verùm etiam intra centesimum miliarium potestatem te protendere antiqua iura voluerunt: tu ETIAM ex designatis LEGE provinciis ab appellatione cognoscis.*

Et ita quidem *Nudum* seu *Merum* olim *Appellationum* ad Præfectum urbi ius sese habuit: variè admodum. De quo superiora præmissa à me nunc oportuit; ne videlicet (quod plerisque in more) cum solemni seu ordinario *Territorii* sive *Diœceseos* iure, de quo deinceps nobis agendum (cui scilicet *Appellationis* ius adnexum erat, & cohærebat) momentaneum istud nudumque Appellationum ius confunderetur. Illud enim Præfecto urbi *Iure Magistratus*, tacito iure competebat: hoc, specialiter Lege vel Constitutione Principum ei tribuebatur. Inter quæ duo quàm lata sit differentia sciunt JCtorum filii.

CAPUT II.

DIOECESIS *Præfecti Urbi, centesimum ab urbe miliarium. Dio emendatus. Stadiorum ad miliaria proportio. Senatorum urbis Romæ forum, & domicilium.* Diœcesis, *quid? Diœceses rexêre Vicarii, vel Præfecti. Regiones seu provinciæ intra C. ab urbe miliarium seu diœcesim urbicariam: Varia earum nomina:* Suburbicariæ *cur dictæ.*

Ut

UT maximè igitur Appellationum ad Præfectum Urbi ius subinde, pro Principum nutu & arbitrio variaverit, imminutumq; tandem plurimum fuerit, illud certè Mecænatis consilio, si Dioni fides, constitutum semel, semper deinceps obtinuit: quandiu Roma stetit ipsa: videlicet, ut Præfectus Urbis Romæ, non intra urbem Romam tantum (ipsiusq; adeo urbis Romæ regiones quatuordecim) verùm & intra Italiæ partem Urbi proximam, Ordinariam Imperii sui vim & potestatem, (*ipso Magistratus iure*,) exerceret: INTRA CENTESIMUM videlicet AB URBE ROMA MILIARIUM: Hæc enim velut προσθήκη τῆς Ῥώμης addita: hique urbis TERMINI fuêre: ut Ulpianus, *in l. 1. §. 4. ff. de offic. Præfect. Vrbi.* & Cassiodorus, *laudatis superiori capite verbis*, testantur. Et lex 2. *Cod. Th. de in integ. restitut.* Itemque *lex 62. C. Theod. de hæreticis*, ostendunt. Et clarè quoque Mecænas, apud Dionem, *lib. 52. p. 547.* inter alia consilia: πολίαρχος δὲ ἀποδεικνύσθω: ἵνα τά τε ἄλλα ἀεὶ τῆς πόλεως προστατῇ, καὶ τὰς δίκας τὰς θανάτου, τοῖς τε ἐν τῇ πόλει, καὶ ἔξω αὐτῆς μέχρι πεντήκοντα καὶ ἑπτακοσίων σταδίων οἰκοῦσι κρίνῃ. Sic enim rescribendum, pro ἑξακοσίων, alter mox apud eundem locus, *sequente statim pagina 548.* evincit. Mecænas quippe constituto urbis statu, ad reliqua ordinanda orationem convertens. Τήν τε Ἰταλίαν, inquit, (de huius loci sensu v. plura inf. c. 4.) ὑπὲρ πεντήκοντα καὶ ἑπτακοσίους ἀπὸ τῆς πόλεως σταδίους οὖσαν. Et hic sanè stadiorũ, 750. videlicet, numerus centum miliaria præcisè conficiunt: computatis videlicet, (quorundam è vetustioribus sententiâ, quicquid ambigant nonnulli) septenis stadiis & dimidio in singula miliaria. Photius & Suidas disertis verbis (ut omittam nunc argumenta alia) ἑπτὰ γὰρ ἥμισυ στάδια ποιοῦσι μίλιον ἕν.

At singularis præ cæteris omnibus hanc in rem Ulpiani, (*apud Auctorem collationis Legum Mosaicarum, tit. 14. de plagiariis*,) locus. *Sedenim*, inquit, *iam eò perventum est Constitutionibus, ut Romæ quidem Præfectus Vrbis solus super ea re cognoscat, si INTRA MILIARIVM CENTESIMVM sit in Faviam cõmissum: enim-*

verò, si VLTRA CENTESIMVM, Præfectorum Prætorio erit cognitio: seu, ut idem alibi loquitur, *egressum est Præfecti Vrbi notionem*.

Hinc quoq; Senatorum Urbis Romæ, velut proprium domicilium & forum, centesimum ab Urbe miliarium fuit. Ob hanc quippe causam ultra centesimum ab urbe lapidem tutelam gerere Senatores Urbis Romæ non coactos ostendit *lex propter 21. §. 3. ff. de excusat.* Et ex suburbanis quoq; provinciis Judices ad Præfecturam Urbicariam de capite Senatorio referre iussi. *l. 13. C. Th. de excusationibus*: nempe, quod hi haud alium quàm Præfectum Urbi iudicem habuêre *l. 4. & l. ult. C. Theod. de iurisdict. l. 13. Cod. de accusat. l. 10. C. Theod. de maleficis.* & Symmachus *lib. 10. ep. 62.*

Fuit itaque Præfecti Urbis propria diœcesis Roma cum centesimo ab Urbe miliario. *Diœcesin* hîc non antiquissimi sed posterioris ævi appellatione, voco, iunctam plurium regionum, seu provinciarum, administrationem uni Magistratui commissam: quo sensu sæpè vox ea, post factam à Constantino Imperii divisionem (iam inde ab a. d. 325. ut ex Constantini ipsius epistolâ ad Ecclesias apud Socratem *lib. 1. cap. 9. pag. 517.* apparet) in Codice Theodosiano, Justinianeo, Ammiano, Notitiâ Imperii, & apud Scriptores Ecclesiasticos, & in Conciliis effertur. Omnium instar Balsamo nunc erit, διοίκησις inquit, ἐστὶν ἡ πολλὰς ἐπαρχίας ἔχουσα ἐν ἑαυτῇ. Et has quidem diœceses, vel *Præfecti* quidam insigniores, vel *Vicarii* Præfectorum Prætorio rexêre. De *Vicariis* res clara: Nam ideò *Vicarii* in Codice Theodosiano, & apud Ammianum non semel, *Propræfectis diœceses temperare, regere, curare* dicuntur. At *Præfectorum* qui *Diœceses* integras, (id est plures provincias) rexêre duos tantum reperio: Præfectum Augustalem, scilicet, & Præfectum Urbi.

In Diœcesi proinde præfecti Urbi quam diximus variæ regiones seu provinciæ fuere: Quæ ideò Solitæ (Præfecti urbi) regiones, *in d. l. 1. §. 13. π. de offic. præf. urb.*

vocan-

vocantur: *Et urbe*, inquit, *interdicere Præfectus urbi*, *& quâ aliâ SOLITARUM REGIONUM potest. Solitæ* namque *regiones* haud aliæ eâ lege sunt, quàm, quæ ab ipsius urbis regionibus diversæ, & intra quas Constitutionibus, moreq; solito & solemni Jurisdictionem seu potestatem exercere suam Præfectus urbi poterat: subditæ & suppositæ breviter ordinariæ eius iurisdictioni regiones, intra centesimum videlicet ab urbe Roma miliarium, non etiam Italiæ regiones, quod magnis alioquin JCtis visum.

Et verò hæ ipsæ regiones sunt, quæ, à situ, *VICINAE urbi regiones*, *in l. ult. C. Theod. de habitu quo uti oportet intra urbem*, vocantur: Item, *FINITIMAE urbi provinciæ*, in hâc inscriptione: L. Aur. Aviano Symmacho. V. C. Præfecto Urbi, Consuli, Propræfectis Prætorio In Urbe Roma, Finitimisque Provinciis, Præfecto Annonæ Urbis Romæ.

Propræfectis enim *Prætorio in Urbe Româ*, *finitimisq; provinciis*, qui hac inscriptione dicitur, Vicarius Urbis Romæ solemniter magis vocatur.

Rursùm, hæ ipsæ regiones, ad Præfecturæ urbanæ diœcesin pertinentes, sunt quæ Suburbicariæ regiones, non magis à situ (nempe quod sub, i. circa & ad urbem proximæ & continentes, cõtinuæ, iunctæq; forent) quàm quod urbi subessent, i. sub urbis diœcesi essent (ut χώραι ὑπὸ τὴν πόλιν *canone 9. Antiocheni concilii* seu *canone 88. C. canonum Ecclesiæ universæ*, τῇ πόλει ὑποτεταγμέναι) vocantur, *in l. 9. C. Theod. de annon. & tribut. l. 12. eod. C. de indulgent. debitor. & in Notitiâ Comitis rerum privat.* Item, Suburbicariæ partes, *l. 12. Cod. Theod. de extraord. munerib.* Suburbicariæ provinciæ, *Novella Valentiniani (inter Theodosianas 44.) de tironib. l. 2.*

Subur-

Suburbanæ postremò provinciæ (quicquid Baronius, *in A. 325. n. 132.* contra sentiat) *l. 13. Cod. Theod. de accusation.* & à Symacho, *lib. 1. ep. 84. & lib. 2. ep. 74.* Quæ omnes appellationes distinguendæ ab ipsis Urbis Romæ Suburbiis, quæ *continentium* Urbis Romæ appellatione veniunt: & quæ τὰ τῆς πόλεως πεζάματα Græcis dicuntur.

Iterum, hæ ipsæ regiones sunt, quæ ab urbe, cui propriè dicatæque erant, Urbicariæ nominantur *in Cod. Theod. l. 9. de extraord. muner. l. 3. quib. equor. usus: l. 3. tributa in ipsis specieb. l. unic. si per obreptionem: l. 14. de indulgent. debit. & in Notitia Comitis Rer. privat. & apud Gaium & Theodosium in corpore de limitibus.* Haud aliter, quàm Præfectura urbis ipsa *Vrbicaria* dicta: ut ex innumeris utriusq; Codicis, Theodosiani, & Justinianei, legibus constat.

His scilicet, tot & variis adeò, nominibus, Regiones intra centesimum ab urbe miliarium, ad urbanæ seu Urbicariæ Præfecturæ diœcesin pertinentes; designatas reperio.

CAPUT III.

I. Urbicariæ *cum Suburbicariis regionibus eædem: Notitiæ Imperii locus expensus.* Procuratoris *&* Rationalis *rei privatæ discrimen. II.* Annonariæ *regiones à Suburbicariis aliæ: Quæ illæ? Pollioni nova lux. Inscriptio vetus interpungitur. Flavia Fanestri, metropolis Piceni Annonarii.* Annonariæ *regiones, unde. Victoris & Codicis Theodosiani loci duo singulares ad Annonarias regiones.* Cellarium *seu* cellarienses

lariensses *species. Sicilia & Sardinia annonæ pignora. III. Tributaria res omnis, cura Præfecti Prætorio.*

I. NOTANDUS itaque mihi primus nunc illorum error, qui *Vrbicarias* Regiones à *Suburbicariis* fecêre diversas: ita quidem, quasi *Suburbicariæ* per Italiam (& quidem omnem, de quo inf. c. 4. & 5.) *Vrbicariæ* verò extra Italiam procurrerint. In quo sanè summam illi ἀκεραιότητα suam (ne quid gravius dicam) prodidêre: Easdem quippe *Suburbicarias* cum *Vrbicariis* fuisse sequentia evincent deinceps argumenta.

Primùm, quam Gaius & Theodosius, *in corpore de Limitibus*, Tusciam Urbicariam vocant, eam *d. lex 12.* & inscriptio *Novellæ Maioriani de adulteriis*, Tusciam Suburbicariam appellant.

Secundò, quas Honorius Suburbicarias Regiones, *in l. 12. C. Th. de indulgentiâ debitor.* vocaverat (his verbis: *Picenum & Tusciam Suburbicarias regiones septimam tributorum ad supputationem professionis antiquæ per universos titulos iubemus agnoscere*) easdem idem Imperator, *in l. 14. eod. tit.* summam legis illis 12. repetens, *Vrbicarias* nominat. *Quod de annonariis*, inquit, *functionibus per Vrbicarias regiones clementia nostra concessit, etiam in largitionalibus titulis & Emphyteuticis Reip. prædiis custodiri mandamus.*

Tertiò, sicut Suburbicariæ regiones *Italiæ* propriè sic dictæ (de quo sequenti capite) *in l. 9. Cod. Theod. de annon. & trib.* opponuntur, eadem ratione & Urbicariæ ab eadem speciali *Italiæ* appellatione, in *l. 9. C. Th. de extraord. munerib.* & in *l. un. C. Th. si per obreption.* separantur.

Quartò, quas Imperii Notitia *Suburbicarias* regiones uno loco nominat, easdem statim *Vrbicarias* appellat. *Rationalis*, inquit, *rei privatæ per Vrbem Romam & Suburbicarias Regiones*,

cum parte Faustinæ : Mox ; *Procurator reiprivatæ per urbem Romam. Procurator rei privatæ per Vrbicarias regiones rerum Iuliani.* His enim locis, ne quis hæreat deinceps, non *loca* inter se opponuntur; alioquin eâdem opera Roma à Roma iam dicenda esset differre : verùm, *Magistratus* qui per eas regiones fuêre, *Procurator*, inquam, & *Rationalis*, à se invicem distinguuntur.

Procuratores certè possessiones, domos, ad privatum Principis dominium *iam* pertinentes hactenùs curabant : unde & *procuratores domorum, possessionum* dicti. At *Rationales*, vacantium etiam & caducorum bonorum rei privatæ incorporandorum cura manebat : ut ex decimo Codicis Theodosiani libro passim constat. Deinde, & *Res* illo Notitiæ loco inter se opponuntur, puta *res Faustinæ* & *res Iuliani* : priorum administratio, Rationali, iuxta cætera quæ ad eius officium spectabant : posteriorum, Procuratori, neq; aliud quicquam commissa.

Ex his itaq; nunc omnibus apparet, *Vrbicarias* cum *Suburbicariis* regionibus easdem fuisse, ac proinde multò minus extra Italiam, quod multis proditum, procurrisse.

II. At geminus superiori sequens hic alter nonnullorum error, qui ANNONARIAS Regiones cum Urbicariis sive Suburbicariis easdem fecêre. *Annonariarum* certè regionum (recenti sc. æui sui appellatione) meminit hoc loco Trebellius Pollio (qui Constantio Chloro Cæsare scripsit) *in vita Tetrici. Aurelianus pudore victus, Tetricum quem triumphaverat Correctorem totius Italiæ fecit, id est Campaniæ, Samnii, Lucaniæ, Brittiorum Apuliæ, Calabriæ, Hetruriæ atq; Vmbriæ, Piceni & Flaminiæ, OMNISque ANNONARIAE REGIONIS.* Verùm, quas *Annonariarum* appellatione regiones Pollio intellexerit, ex eius verbis distinctè definiri non potest, nisi illasce regiones ipsas quas eo loco recenset, indicare voluerit : *Hetruriam* quippe & *Picenum* inter eas, Annonariarum numero fuisse mox ostendemus : ut illis proinde Pollionis verbis, *Omnisq; annonariæ regionis*, vox συλληπτική, *Adeò*, subintelligenda videatur : quod sanè pro comperto habeo.

TUSCIÆ

TUSCIÆ igitur *Annonariæ* meminit Ammianus, *lib. 27. Nova*, inquit, *portenti species per Annonariam apparuit Tusciam.* Gaius item & Theodosius, *inter auctores limitum p. 260. Terminus testaceus in pedes CCCCL. per Tusciam VRBICARIAM, & ANNONARIAM.* Extat & Pelagii Ep. Romani epistola anno 556. *ad Gaudentium, Maximilianum, Geruntium, Iustum, Terentium, Vitalem & Laurentium dilectissimos fratres per Tusciam Annonariam.* meminit & Jornandes, de *regnum success. sub f. Nec diu posthac idem per suos ad cancellos Annonariæ Thusciæ feliciter dimicans Iudices fugat.* Et de huius Annonariæ Tusciæ Metropoli, oppidis, dicemus *cap. 5. inf.*

PICENI item *Annonarii* meminit Notitia Imperii: *Consulares*, inquit, *Flaminiæ & Piceni ANNONARII, Tusciæ & Vmbriæ, Piceni SVBVRBICARII.* Et rursùm: *Provinciæ Italiæ decem & septem, Flaminiæ & Piceni ANNONARII: Tusciæ & Vmbriæ, Piceni SVBVRBICARII.* Fit & eius mentio, in veteri inscriptione,

TARRUTENIO MAXIMILIANO, V. C.
ELOQUENTISSIMOQUE CONSU-
LARI PICENI ANO.

Neq; enim CONSULARI PICENIANO coniunctim hîc legendum, quod existimavit vir supra omnem æstimationem maximus, sed divisim, PICENI ANO. In Piceno porrò Annonario præcipua Urbs erat, Flavia Fanestri, quæ hodie *Fano* dicitur, in qua ideò Consularis sedem habebat, ut subscriptio *legis 5. C. Th. de pactis*, (quæ Consulari Piceni inscripta) docet: hæc videlicet, *All. Flavia. Fanestri in Secretario.* Cuius subscriptionis quæ vis sit ἴσασιν οἱ μεμυημένοι.

Ex superiorib. interim Gaii, Theodosii, Notitiæ locis apparet omnium evidentissimè, quod nunc quærimus: Primùm, Annonarias à Suburbicariis seu Urbicariis diversas fuisse, quas à viris etiam doctissimis confusas hâc literarum luce, mirari subit: Deinde & illud, per Italiam regiones eas quæ *Annonariæ* dicebantur, fuisse, non extra Italiam: Neque enim, quia Annonam

Urbi suppeditarent, seu Urbani usus frumenta, *l. 3. C. Theod. de can. frum. V. R.* (quod existimant hactenùs omnes,) regiones illæ sic dictæ fuêre, verùm quia Annonam ad *cellarii* usus, id est Imperatoris & Comitatus, sive exercitus eius, in Italiâ plerunque commorantium, usum subministrarent. De his enim regionibus accipiendus insignis Sexti Aurelii Victoris locus, in Maximiano Herculio. *PARTI ITALIAE* inquit, *invectum TRIBVTORVM ingens malum: nam cùm OMNIS eâdem functione moderatèq; ageret, quò exercitus atq; Imperator qui semper aut maxima parte aderant, ALI possent, PENSIONIBVS inducta Lex nova, quæ sanè* (lex sc.) *illorum temporum modestiâ tolerabilis, in perniciem processit.*

Eòdemq; pertinet Constantini Imp. *lex. 6. Cod. Theod. de annona & tribut. Vinum*, inquit, *quod ad CELLARII usus ministrari solet, cuncti ITALIAE possessores iuxta statutum Constantis* (ita reponendum) *fratris mei comparent. Quod ut fieri facilius possit, ab omnibus ITALIS nostris conferatur pecuniæ quantitas ea quam Rufini V. C. & illustris P. P. parentis amicique nostri moderatio dandam esse censuerat. Annonariæ* itaq; sic dictæ Italiæ regiones omnes, quod annonarias seu Cellarienses species non in Urbis, verùm Imperatoris usum ministrarent. Neq; enim *Annonarum* genus unum fuit: præter Urbicarias & Civicas, erant & quæ Expeditionales, Militares, Cellarienses dicebantur. *Cellarium* alioquin & *Cellarienses species* generaliter sunt; πάντα τὰ βρώσιμα καὶ πόσιμα ad quorumcunque usus, Magistratuum, privatorum. De quo *v. l. 3. Cod. Theod. de offic. iudic. omnium: & l. 9. & 16. Cod. Th. de indulg. debitor. l. 32. Cod. Th. de erogat. mil. ann.*

Sic itaq; regiones eas, quæ *Annonariæ* dicebantur, intra Italiam fuisse constat. Alio proinde sensu extra Italiam, Siciliam & Sardiniam *Annonæ pignora* vocavit olim Florus, *lib. 4. c. 2.* nempe quòd benignissimæ nutrices ipsius URBIS Romæ, ut eas vocat Valerius *lib. 7. cap. 6*: Fiscalia horrea & vitales venæ (apud Salvianum nostrum *lib. 6.*) forent.

Et

Et de his etiam ita Lucanus, *lib. 3. à v. 65.*

Vtraq; frugiferis est Insula nobilis arvis,
Nec plus Hesperiam longinquis messibus ullæ,
Nec ROMANA magis complerunt horrea terræ.

III. Cæterùm, ne cui scrupulus in hac de Suburbicariis regionibus disquisitione superesse possit aliquis, observandum ultimo loco, etsi Suburbicariæ seu Urbicariæ regiones ad Præfecti Urbi diœcesin pertinuerint, ad Præfectum Prætorio Italiæ nihilominus Tributariæ rei per eas quoq; provincias profligationem pertinuisse; nempe, quòd per omnes omninò provincias eiusce rei cura Præfectis Prætorio incubuerit: quod Zosimus, *lib. 2. p. 688.* (ut omittam nunc alios) testatur, Τῶν ὑπάρχων, inquit, τῆς ʿΑΠΑΝΤΑΧΟΥ φόρες εἰσπρατ]όντων. *v.* & eundem *lib. 4. p. 741.* Et hæc scilicet causa est, cur bona pars earum legum, quæ Suburbicariarum regionum in Codice Theodosiano meminêre, Præfectis Prætorio Italiæ inscribantur: utputa *lex 12. de indulg. debitor: l. 9. & 12. de extraord. muner: l. un. si per obreption:* ut & *Novella de tironibus 44.* Ideò nempe, quia Leges illæ, quas dixi, ad rem tributariam neque aliò pertinent. Certè ob hanc aliasque causas similes suum in Urbe Roma, finitimisq; seu Suburbicariis provinciis Vicarium, Præfectum Prætorio Italiæ habuisse constat. Ut proinde Diœcesis Urbis Romæ duos Magistratus habuerit: Præfectum Urbi inquam, & Præfecti Prætorio Vicarium: ita quidem ut præventioni inter hos Magistratus locus aliquando foret.

CAPUT IV.

TERMINI *seu fines Suburbicariarum Regionum: Ab Africa, Sicilia, Illyrico distinctæ. Ab Italiâ quoq; : quo sensu.* Italiæ *notio varia: duplex expensa.* Urbs *&* Italia *opposita.*

Aquitania à Gallia distincta. Itinerarii, quod vulgò Antonini, quis auctor. Sicilia, regio Italiæ continens, at non Suburbicaria seu urbi continens. Flori locus. Centesimum ab Urbe miliarium & Italia oppsita.

DE Suburbicariarum Regionum, seu provinciarum terminis, finibusq; dispiciendum nunc nobis exactiùs: quanquam rem eam ex superioribus abundè definiri posse iam existimo: constitisse videlicet eas in Italiâ Urbi finitimas, atq; intra centesimum Urbi miliarium subiacuisse.

Primùm igitur, ab Urbicariis Regionibus AFRICAM parte unâ, alterâ verò ILLYRICUM clarè admodum distinguit *lex unica Cod. Theod. si per obreptionem.* (quæ, ut paulò ante dicebam, Præfecto Prætorio Italiæ inscribitur) *Igitur*, inquit, *Sinceritas tua, id ipsum per omnem ITALIAM, TUM ETIAM per URBICARIAS, AFRICANASq; regiones, ac per omne ILLYRICUM prælata huius oraculi auctoritate firmabit.* Imò & SICILIAM præterea ab Urbicariis regionib: *lex 9. Cod. Theod. de extraord. muner.* apertissimè separat (quæ pariter Præfecto Prætorio Italiæ inscribitur) *Exemplo AFRICAE*, ait, *debent fundi patrimoniales & emphyteutici per Italiam constituti ab extraordinariis munerib. excusari: non enim per ITALIAM tantùm, SED ETIAM per URBICARIAS regiones, & SICILIAM, patrimonialium & emphyteuticorum fundorum vires servandas esse perspeximus.*

Ex quibus erroris (ut modestè dicam) manifestissimè revincuntur, & in his Baronius, qui Urbicariarum, sive Suburbicariarum, regionum appellatione Transmarinas etiam extra Italiam provincias, veluti Siciliam & Africam, comprehensas olim prodidêre.

Imò

Imò, (quod secundò notandum) ab Urbicariis quoq; regionibus non Africam, Siciliam, Illyricum modò, sed & ITALIAM ipsam distinctam, ex duabus superioribus legibus deprehendere licet. Quod quale sit exactius nunc videndum nobis, quandoquidem illud ipsum potissimum est, quod minùs observatum, magnas huic Pragmatiæ tenebras offudit hactenùs. Enimverò, *Italiæ* appellationem latiùs aliquando, angustius modò acceptam comperio. Latè quidem (ut de latiore nunc appellatione non agam) sic, ut Urbem quoq; Romam (quod notum etiam iis qui nondum ære lavantur) & Suburbicarias regiones ambitu suo complecteretur. Imperii Notitia postremum istud evidentissimè sequentibus verbis docet: *Provinciæ ITALIAE*, inquit, *decem & septem*; *Venetiæ*, *AEmiliæ*, *Liguriæ*, *Flaminiæ*, *& Piceni Annonarii*, *Tusciæ & Vmbriæ*, *Piceni SVBVRBICARII*, *Campaniæ* &c. Et rursum: *Consulares per ITALIAM octo*, *Venetiæ & Istriæ*, *AEmiliæ*, *Liguriæ*, *Flaminiæ & Piceni Annonarii*, *Tusciæ & Vmbriæ*, *Piceni SVBVRBICARII*, *Campaniæ* &c. At *Italiæ* vox angustius quandoque effertur, sic ut Urbs & Urbicariæ regiones ab ea distinctè separentur, eamque Italiæ tantùm partem occupet, quæ ultra Centesimum ab Urbe miliarium constituta est: Cuius scilicet Metropolis *Mediolanum* fuit, ut sequente Diatribâ *c.3.* dicetur. Ut hoc proinde sensu duæ iam nobis in *Italiâ* generalius acceptâ Diœceses constituendæ sint: *Italia* videlicet, ἰδιωτικῶς sic dicta: & *Roma cum Vrbicariis sive Suburbicariis regionibus*. Et hoc itaq; sensu partim *Vrbs* & *Italia* sæpè opponuntur, (unde Urbe & Italia abstinere iuberi *in l. 1. §. π. de effractorib:* Urbe & Italia submoveri, interdici, apud Suetonium, *Claudio c. 23. Nerone c. 39. Vitellio. c. 14.* Gellium, *lib. 15. c. 11.* Tertullianum, *lib. de pudicitia*; Valerium *Max. lib. 1. c. 3.* alios) partim *Vrbicariæ regiones* à speciali *Italiæ* appellatione disertissimis omnium verbis separantur. Duabus, quas præmisi, Constitutionibus addatur eam in rem & hæc tertia: nempe *lex 9. Cod. Theod. de annon. & tributis*, (inscripta Præfecto Prætorio Italiæ) *Tabulariorum fraudes*,

des, inquit, *ſe reſecaſſe per SVBVRBICARIAS Regiones Vir Clariſſimus Anatolius Conſularis miſſa relatione teſtatus eſt.* & poſt alia: *Quod iubemus ut ETIAM per omnes ITALIAE regiones pari ratione ſervetur.* Et ad eum ſc. quoque modum *Vicarius Italiæ* à *Vicario Vrbis Romæ* diſtinguitur. Exemplo planè gemino, vel unico, ne plura nunc arceſſam, notioraq; omittam, fiet adhuc res iſta clarior. *Galliarum* (quæ Rheno, Oceano, Pyrenæis, mari mediterraneo, Alpibus includebantur) partem, *Aquitaniam* olim quoq; cenſitam notiſſimum eſt: & à nonnullis ſcriptoribus tamen *Aquitaniam* à *Galliarum* appellatione ſeparatam notare licet: Præter Ammianum, *lib. 15. & lib. 21.* & Auſonium, *in Arelate*, Sidonium, *Carm. 17.* Sextus Rufus, *in breviario*: *Sunt*, inquit, *in Gallia cum Aquitania & Britannia provinciæ octodecim.* Sulpitius Severus, *ſacræ hiſtor. lib. 2. Sed id noſtris, id eſt, Aquitanis, Gallis, Britannis indecens viſum.* Olympiodorus, *apud Photium*, de Conſtantino Tyranno: ὅλον τὸν γάλλον καὶ Ακύτανον στρατιώτην ἰδιοποιησάμενος. Cui geminus apud Sozomenum locus, *lib. 9. c. 11.* προσηγάγετο τοὺς περὶ γαλάταις καὶ Ακουιτανοῖς στρατιώτας: & apud Æthicum (is enim auctor eſt Itinerarii, non Antoninus, teſte Flodoardo, *lib. 1. Rhem. hiſtor.*) deſcriptum iter his verbis notatur. *De Aquitania in Gallias.* Verùm ad rem.

Tertiò, Imperii Notitia omnium manifeſtiſſimè à Suburbicariis regionibus, ut Italiam, ita & Siciliam, Illyricum, Africam (ut omittam nunc provincias alias) ſeparat: *Sub diſpoſitione*, inquit, *viri illuſtris Comitis rerum privatarum, Rationalis rerum privatarum per Illyricum: Rationalis rei privatæ per ITALIAM: Rationalis rei privatæ per Vrbem Romam & SVBVRBICARIAS regiones: Rationalis rei privatæ per SICILIAM: Rationalis rei privatæ per AFRICAM.* Si *Suburbicariæ* provinciæ iam neq; intra Illyricum, neq; intra Italiam ſpecialiter ſic acceptam, neq; per Siciliam, aut Africam fuêre, ubi quæſo quærendæ nobis illæ, niſi ad Urbem Romam? Quas & ideo Notitia Romæ, ceu proximas, & ſub uno Rationali, quaſi contiguas

tiguas coniungit, & vel nomen ipſum (*Suburbicarii* ſcilicet) Urbi ſubiacuiſſe eas arguit. Tantùm abeſt proinde Urbicariæ regiones provincias aliquas extra Italiam ſitas, & remotiores quidem, veluti tranſmarinas (Africam puta vel Ægyptum) complexæ fuerint (quod Baronius aliiq; ὑποθέσεις δουλεύοντες aliis perſuadere conati ſunt) ut ex ſuperioribus luce meridianâ clarius ſit, Urbicarias, regiones & Italiæ tantùm generaliter acceptæ partem urbi proximam conſtituiſſe : & Siciliam quoque, continuam quamlibet & continentem Italiæ provinciam, (ut *ex l. 99. §. 1. π. de V. S.* apparet) imò & Italiæ aliquando acenſitam, ab iis nihilominus ſeparatam fuiſſe. Ideò Florus quoque, quod *lib. 4. c. 1.* (& ante eum Cicero, *2. Verrina*) Siciliam ſuburbanam provinciam (etſi alio quoque ſenſu) vocaverat, id idem Florus poſteà, *lib. 3. cap. 19.* cum iuſto temperamento effert, cùm videlicet provinciam illam *quodammodo Suburbanam* appellat : *Sicilia*, inquit, *terra frugum ferax, & QVODAMMODO SVBVRBANA provincia latifundiis Civium Romanorum tenebatur.* Alia longè eſt *continens* ſeu *contigua Italiæ* provincia, alia *continens Vrbi* ſeu *Vrbicaria* : nam ut Sicilia, ita & Narbonenſis Gallia *continens Italiæ* provincia habita fuit, utpote Italiæ iuncta : At quis adeò rudis, qui *ſuburbicariam* unquàm eam ideò dixerit, aut putaverit?

Intra Centeſimum igitur ab urbe miliarium Suburbicarias regiones ex hoc & ſuperiore capite fuiſſe conſtat : At *Italiam*, propriè ſic dictam (quæ ſub diſpoſitione Præfecti Prætorio Italiæ fuit) ultra centeſimum ab urbe miliarium (*ſeu, ut Dio aptiſſimè, & apertiſſimè ſcribit*, ὑπὲρ πεντήκοντα καὶ ἑπτακοσίους ἀπὸ τῆς πόλεως σταδίους) cœpiſſe. Et certè, quemadmodum paulò ante à Româ Suburbicariisq; provinciis Italiam ſeparatam tot exempiis vidimus, ita *Roma centeſimoq; ab Vrbe miliario*, *Italia* pariter eademq; prorſus ratione, *in l. 2. Cod. Th. de in integ. reſtitut.* opponitur : ut proinde Suburbicarias Regiones, & centeſimum ab urbe miliarium pro uno eodemq; accipi exinde maniſeſtiſſimum ſit. Verba legis illius ſunt hæc : *Placuit ad inter-*

D

ponendam contestationem in Urbe Româ, usq; ad anni tricesimi extremum diem spatia prorogari, & intra CENTESIMUM URBIS ROMAE MILIARIUM, si tamen ab his Iudicibus qui Romæ sunt fuerit iudicandum: Per omnem VERO ITALIAM, usq; ad finem vicesimi & noni: In cæteris omnibus PROVINCIIS, usq; ad completum annum vicesimum & octavum.

CAPUT V.

Numerus & Nomina Suburbicariarum regionum. Partes Suburbicariæ *quo sensu. Tuscia Suburbicaria. Florentia, Tusciæ Annonariæ Metropolis: Pistoriense oppidum in Tusciâ Annonariâ. Portus Urbis Romæ, & Ostia sub Præfecto Urbi. Picenum Suburbicarium: Spoletium, eius Metropolis. Vicarii sede Diœceseos vacante qui.* Quatuor *Regiones Urbicariæ. Codicis Theodos. lex defensa, illustrata. Calx Romam è Terracinâ & Tusciâ.* Cespes calcarius & vecturarius. *Latium, regio Urbicaria. Campaniæ fines. Itinerarii Peutingeriani locus explicatus. Pons Campanus. Latium duplex, Vetus & Novum.* Suburbicarii *cognomen, Tusciæ & Piceno tantum inditum & cur?*

SUBURBICARIARUM Regionum finibus constitutis, oculisq; legentium fideliter subiectis, in proclivi iam satis, earundem Nomina & Numerus ni fallor esse poterant: Et de his tamen exactius hoc capite videndum nobis.

Primùm

Primùm igitur, Suburbicariarum Regionum (ad Præfecti Urbis Diœcesin pertinentium) numero TUSCIA & PICENUM fuêre: non quidem integræ duæ provinciæ illæ, sed pars utriusque tantùm. Utriusq; namq; pars altera, *Annonaria* cognominata fuit, ut capite tertio superiùs demonstratum à nobis; Altera verò, *Suburbicaria.* Quò fit, ut hoc sensu fortè, *Suburbicariæ PARTES* propriè, *in l. 12. C. Th. de extraord.* vocentur (etsi id de universâ Præfecturæ Urbicariæ Diœcesi accipi quoque posse nescius non sim) Pars Piceni, Balbo *in Corpore de Colonis p. 100.* Pars Tusciæ, *eidem p. 92.* & Frontino, *de Coloniis p. 117.* Et ideò Cassiodorus, *4. variar.* duas Tuscias constituit: *Ut Gothi*, inquit, *per Picenum sive Tuscias utrasq; residentes cogantur exolvere debitas functiones.*

Utriusq; quam dixi, regionis Suburbicariæ, (Tusciæ videlicet & Piceni) meminit *lex 12. C. Th. de indulg. debitor. PICENUM*, inquit, *& TUSCIAM Suburbicarias regiones, septimam tributorum iubemus agnoscere.* Tusciæ etiam Urbicariæ meminit Gaius & Theodosius, *inter auctores limitum 260.* his verbis: *Terminus testaceus in pedes CCCCL. per TUSCIAM URBICARIAM & annonariam.* Ideò quoq; in inscriptione *Novellæ Maioriani de adulteriis 9.* Rogatianus *Consularis Tusciæ Suburbicariæ* legitur. Cæterùm, Annonariæ, de qua superius actum nobis, Tusciæ (ad Præfecti Urbi Diœcesin non pertinentis) FLORENTIAM Metropolim & Correctoris ipsius sedem fuisse, subscriptio *legis 8. Cod. Theod. de accusat.* quæ Correctori Tusciæ Maximino, (cuius etiam mentio apud Ammianum, *initio lib. 28.*) inscripta est, ostendit, hæc videlicet: *ACC. FLORENTIAE.* Unde & Annonaria Tuscia, à Magone & Vegoia, *in corpore de limitibus*, TUSCIA FLORENTIA vocari videtur: *Sæpè*, inquiunt, *imbricem in finem posuimus, sæpè instructuras fecimus: Iidem in parte Tusciæ Florentiæ, quàm maximè palos iliceos picatos pro terminis sub terra defiximus.* Nisi quis malit hæc de solâ Urbe Florentia accipere. In eadem etiam Tusciâ Annonariâ Pistoriense oppidum (quod hodie *Pistoia*) Ammianus,

lib. 27. discertis verbis constituit: *per Annonariam*, inquit, *Tusciam in oppido Pistoriensi &c.* Ex his itaque iam illud constat, Suburbicariam Tusciam oppidum Pistoriense, vel etiam Florentiam usq; non procurrisse, *sed citerius Romaeq; propinquiorem constitisse.*

Certè hîc illud vix opus moneri, eam Tusciæ partem quę à fronte Mare, & Portum Ostiensem usq; sese decimosexto miliario, seu 120. stadiis, quod idem est, protendebat, ad Præfecturæ Urbicariæ Diœcesim spectasse, quandoquidem tractus ille velut ipsius pars habitus: eaq; parte Portus annonę populi Romani, seu Urbicariæ recipiendæ, destinatus fuit, qui Portus Urbis Romæ dicebatur. Aristides, M. Antonino Philosopho coævus, *in encomio Vrbis Romæ*, καταβαίνει δὲ, inquit de Roma, καὶ μέχρι θαλάττης οὗ τὸ κοινὸν ἀνθρώπων ἐμπόριον καὶ ἡ κοινὴ τῶν ἐν γῇ φυομένων διοίκησις. Cui addes & Dionysium, *lib. 4.* & *l. 2. Cod. Theod. de canon. frum. V. R. &c.* Sanè, Ostiam quoq; ad Præfecturæ Urbicariæ Diœcesim pertinuisse, iuxta Ammianum, *lib. 19.* & Sidonium *lib. 1. ep. 10.* Æthicus, *in Cosmographiâ*, testatur. *Tiberis*, inquit, *insulam facit inter portum Vrbis & Ostiam Civitatem, ubi populus Romanus cum VRBIS PRAEFECTO, vel Consule, Castorum celebrandorum causa egreditur, solemnitate iucunda.*

Hæc de Tuscia Suburbicaria, Ostiaque. Piceni Suburbicarii, præter *d. l. 12. Cod. Theod. de indulg. debitor*, cuius verba paulò ante retuli, Notitia Imperii quoque meminit. *Consulares*, inquit, *Flaminiæ & Piceni Annonarii, Tusciæ & Vmbriæ, Piceni Suburbicarii.* Et rursum: *sub dispositione Præfecti prætorio Italiæ decem & septem: Venetiæ, AEmiliæ, Liguriæ, Flaminiæ & Piceni Annonarii, Tusciæ & Vmbriæ, Piceni Suburbicarii.* Iterum, *in Notitia Vicarii Vrbis Romæ: Provinciæ*, inquit, *Consulares, Campania, Tusciæ & Vmbriæ, Piceni Suburbicarii.* In hac porrò Suburbicariâ Provinciâ Spoletium fuisse ex Symmacho quis, *lib. 3. ep. 13.* colligat: cum scribit, *utrisque* (literis) *te rediturum Romam spopondisti, & certè haud multum itineris interia*

teriacet: *SPOLETIVM Suburbanitas nostra est*: (Nisi quis ad loci proximitatē respexisse Symmachum malit.) Certè, in Piceno nominatim Spoletium fuisse Balbus, *in Corpore de limit. p. 128.* ostendit: etsi id in Vilumbris Ptolemæus, aliiq; olim collocarint. Neq; aliunde factum puto, ut durante inter Bonifacium & Eulalium de Diœcesi Romanâ, seu Episcopatu Urbis Romæ dissidio, (vacante proinde Sede Romanâ) Honorius Imp. Achilleum Spoletinum Episcopum sacra interim Paschatis mysteria celebrare iuberet: Id enim antiquo more in Ecclesiâ receptum olim, ut quandiu Diœcesis Patriarchâ seu Exarchâ suo careret, Metropolitano alicui proximoq; sub ea Diœcesi tandiu sacra celebranda committerentur.

Et quidem Spoletium, provinciæ (Piceni, inquam; Suburbicarii) metropolim fuisse ostendit subscriptio *l. 5. C. Th. de Medicis & Professor.* hæc videlicet: *ACC. SPOLETIO.*

Ex prædictis apparet igitur, posteàquam Præfecturæ Urbicariæ Diœcesis ad centesimum usq; milialiarii protensa fuit, duas ex una Tusciæ, alteràq; Piceni provincias constitutas fuisse; quarum altera, *Suburbicaria* seu *Vrbicaria* dicta fuerit, ea videlicet quæ ad Urbicariam Præfecturam & Diœcesim pertinuit. Ita quidem ut utraq; Suburbicaria regio, Tuscia videlicet & Picenum, ab uno aliquando Consulari regeretur, ut ostendit *lex 9. Cod. Theodos. de annon. & tributis*: aliquando verò suum quæque Rectorem speciatim haberet. Certè, Piceno Suburbicario suum Consularem fuisse, ex Notitia Imperii superius iam ostensum fuit. In inscriptione pariter Novellæ Maiorani, *de adulteriis 9.* Rogatianus Consularis Tusciæ Suburbicariæ dicitur; ut apud Ammianum *lib. 27.* Terentius Corrector Tusciæ Annonariæ memoratur.

Hæc de Tuscia & Piceno, duabus Suburbicariis regionibus ad centesimum ab Urbe miliarium procurrentibus, Occidentem & Septentrionem versus. Verùm, cùm ad centesimum miliarium undiquaque (nisi quà mare intervenit) Præfecturæ Urbicariç Diœcesis *Vrbicariaq; provinciæ* procurrerint,

certè & Orientem versus regiones aliquas Urbi præfecturæquè Urbicariæ subiectas fuisse oportet. Enimverò, non illasce duas modò, verùm QVATUOR in universum Regiones ad Præfecturæ Urbicariæ Diœcesin pertinuisse, singularis & unicus in C. Theod. locus ostendit, nempe *lex 1. de calcis coctor. V. R.* triginta quatuor annis post Nicænum Concilium à CONSTANTIO, Constantini M. filio, ad Orfitum Præfectum Urbis Romæ data, Anno Domini 359. *Ex omnibus*, inquit, *prædiis, quæ iam dudum præstationi calcis cœperunt attineri, coctoribus calcis per ternas vehes singulæ amphoræ vini præbeantur: Vecturariis verò, amphora per bina millia & nongenta pondo calcis: Quin etiam volumus, non personas sed ipsos fundos titulo huius præstationis adstringi: Vecturarios etiam ex QVATVOR REGIONIBVS trecentos boves præcipimus dari.* Neque enim Quatuor Regiones eâ lege, quæ Præfecto Urbis ROMÆ inscribitur, aliæ dici fingive possint, quàm quæ ad Ordinariam præfecturæ Urbicariæ Jurisdictionem seu Diœcesin pertinuêre. Neq; tamen quod Vir longè Doctissimus mihiq; amicissimus putabat, de Regionibus ipsius Romæ (*quatuordecim* scilicet, ita enim is censet emendandum pro *Quatuor*) hæc intelligenda sunt, verùm extra Urbem: Ecquis enim obsecro credat, boves & quidem trecentos, calci Romam transvehendæ, urbanis hominibus. i. civibus Urbis Romæ indictos, ac non potius circumiacentium ac finitimarum Regionum possessionibus: unde videlicet & calx ipsa? Sane, calcem ipsam è TUSCIA LATIOq; (quod *Campaniæ* posteà appellationi accensitum fuit) & à Terracinensibus quidem Romam devectam, *Lex 3. C. Th. de calcis coctor.* (inscripta Vicario Urbis Romæ) docet. *Excepto*, inquit, *Terracinensis præstationis canone, qui vetusto præberi Fari ac Portus usibus more consuevit: A curialibus verò Tuscis nungentarum vehum, quas conferre per singulos annos cogebantur, sarcinam præcipimus amoveri &c.* Et Symmachus, ipse Præfectus Urbis Romæ, *lib. 10. ep. 53. Divo Iuliano moderante Rempublicam, cum Lupus consulari iure Campaniæ præsidens, Terracinensium contemplaretur angustias, ne commoda P. R. civitas quæ lavacris publicis ligna, & calcem reparandis mœnibus subministrat, defecta*

subito exhausta succumberet. &c. Et Terracinã etiam, (quæ & Anxur dicta) calce abundasse Horatius quoq; *lib.1. Satyr.5.* indicat hoc versu:

Impositum Saxis latè candentibus Anxur.

Sic enim ad eum locum Porphyrion: *Mons ille in quo Terracina constituta erat, non candida saxa habet, sed calci coquendæ aptissima: ergo à calce videtur candentia dixisse.* Ideo quoq; *candidus Anxur*, Martiali *lib.5.ep.1.* Neq; alio pertinet, *cespes calcarius & vecturarius*, cuius mentio fit *in Novella Valentiniani de Pantapolis ad Urbem ROMAM revocandis, (inter Theodosianas 43.)* quæ & Præfecti Urbis meminit.

Ex superiorib. apparet igitur, Italiæ ad lævam centesimum usq; miliarium partem, in qua TERRACINA, & cespes calcarius, vecturariusq;, ad Præfecturæ Urbicariæ dispositionẽ & Diœcesin pertinuisse. Et verò, omnem illum tractũ, qui à Tiberi Circæos sive Fundos usq; procurrit, LATII appellatione censitũ, Urbiq; velut proprium iam olim adnexũ fuisse, nemo est puto, nisi qui cum Epicuro literas olim nõ didicit, qui ignorare possit. Verùm (quod necdum à quoquam notatũ) cùm ad centesimum milialium producenda esset Urbicaria Diœcesis, adiecta fuit hac parte postea LATIO Italiæ pars proxima. Sic itaq; Latiũ Sinuessam usq; productum: Inde verò Felix CAMPANIA cœpit, & LATIUM proinde duplex constitutũ, Vetus, & Novum seu Adiectum (etsi Cuiacio *10.obs.35.* mens alia) Plinii locus singularis, *lib.3.c.5. Latium,* inquit, *Antiquum à Tiberi Circæos servatũ est, mille passuum 50. longitudine: Ultra Circeios, Volsci, Osci, Ausones: unde Nomẽ MODO Latii PROCESSIT ad Lirim Amnem.* Et post: *Oppidum Sinuessa extremũ in ADIECTO LATIO.* Strabo, Augusti Tiberiiq; σύγχρονος, *lib.5.p.160.* ΝΥΝΙ μὲν οὖν ἡ παραλία μέχρι πόλεως Σινύεσσης ἀπὸ τῶν Ὠστίων Λατίνη καλεῖται: πρότερον δὲ μέχρι τοῦ Κιρκαίου μόνον ἐσχήκει τὴν ἐπίδοσιν. Servius, prima Æneide ad hæc verba: *Inferretq; Deos Latio: Latiũ,* inquit, *duplex est. Unũ, à Tyberi usq; ad Fundos: aliud, inde usq; ad Vulturnium: deniq; ipse dixit, Veteresq; Latini, ideò quia scit etiam esse novos, id est, à Fundis usq; ad Vulturnium.* v. eundem & ad *7. AEneid. 473.* Eòque pertinet etiam quod apud Itinerarii Peutigeriani

Auctorem legitur: *Sinuessa VII. Ad Ponte Campano III. Vrbanis. III. Ad Nonum VI. Casilino III. Capuæ VI.* Quem locum velut conclamatum deposuit Vir Doctus: Minus rectè: His enim verbis, *Ponte Campano*, indicatur pons qui supra Sinuessam Safoni fluvio (quem designat idem Itinerarii auctor) impositus, quo scilicet in Campaniam transitur. De quo & his verbis Horatius, *1. Sermon. 5.* iter suum Româ Brundusium describens: *Plocius & Varius SINVESSAE Virgiliusq;*

Occurrunt: &c.

Proxima CAMPANO PONTI, quæ villula tectum

Præbuit, & Parochi, quæ debent ligna Salemq;.

Hinc muli CAPVAE clitellas tempore ponunt. Ubi & Porphyrion. *significat*, inquit, *iuxta Pontem Campanum, qui est citra 16. miliarium à Capuâ in villa se mansisse.* Meminit deniq; eius & Plinius *lib. 14. c. 6.*

Et hæ igitur QUATUOR REGIONES sunt, quas Constantius Imp, *in l. 1. Cod. Theod. de calcis coctorib*, intellexit: TUSCIA videlicet, PICENUM, LATIUM VETUS & NOVUM, & quæ intra centesimum ab urbe miliarium consistentes, Præfecturæ Urbicariæ Diœcesim olim constituêre; Urbicariarumq;, seu Suburbicariarum regionum appellatione venêre.

Certè, sola Tuscia & Picenum cum hoc adiuncto, *Suburbicarii* scilicet, ideò notatæ fuêre, quò scilicet distinguerentur à cognominibus provinciis, Tusciâ, videlicet & Piceno *Annonariis*: at non etiam Latium utrumque Suburbicarii cognomento notatum. Urbicariæ seu Suburbicariæ regiones quidem quatuor illæ regiones omnes fuêre: Sed Tuscia & Picenum tantùm cognomento *Suburbicarii*, eâ quam dixi de causa, donatæ.

CAPVT VI.

BARONII *de Suburbicariis regionibus duæ sententiæ ex-*

tiæ excutiuntur. Eius ἀσυλλογιστία. Incerta ne certis mutet, κρύψις eius: Contrarium ex contrario colligit: Italiæ *varias notiones fortè non distinxit.* Vrbicariæ *regiones unde,* Vrbicus *Papa.*

ET poterant isthæc de Suburbicariis sive Urbicariis Regionibus simpliciter, & ad antiquorum monumentorum fidem, dicta nobis sufficere: ni superioribus fucum facerent nonnulli: & in his Baronius.

Primùm igitur, quòd Urbicarias Regiones legibus, quas è Codice Theodosiano, capite quarto, superiùs laudavimus, ab Italiæ appellatione separari Baronius videt: *Ex his*, inquit, *planè intelligas, Vrbicarias regiones ALIQVAS fuisse extra Italiam.* Ridicula collectio: Nam si rectum est à nominum diversitate ad situs disparitatem Baronii argumentum, certè Urbicarias Regiones non iam *aliquas*, verùm OMNES extra Italiam constitui argumentandi lex & concludendi ratio suadebat. Sed, ut quod verùm est, hîc aperiam: voluit sibi inaudito hoc argumenti genere cavere Baronius, ne fortè omnes Urbicarias Regiones extra Italiam (quod argumenti ratio postulabat) collocando, dum incerta & controversa extra Italiam captat, etiam certa intra Italiam amitteret: Itaque & in Italiâ & extra Italiam *aliquas* sibi provincias Urbicarias constituendas callido commento insuperhabita argumentandi lege putavit.

Dehinc quæram hîc ego à Baronio, Ubinam igitur nobis eas regiones ALIQVAS extra Italiam constituturus sit? Intra Africam & Siciliam nempe, quod indicat. Atqui illis ipsis omninò legibus, ex quibus tam elegans argumentum desumit, Urbicariæ Regiones ab Africa & Sicilia nominatim & disertissimis omnium verbis distinguuntur: his nempe: *Non*

enim per ITALIAM tantùm, SED ETIAM per VRBICARIAS Regiones & SICILIAM, &c. Item: *Sinceritas tua idipsum per omnem ITALIAM, TVM ETIAM per VRBICARIAS AFRICANASq; Regiones firmabit.*

Verùm, si immemoriæ magis omnis hæc Baronii argumentatio tribui debet, & deceptus magis ipse, quam decipiendi alios animum habuit, ITALIÆ vox ab eo non distincta, fraudi ei esse potuit. Suburbicariæ enim Regiones Omnes extra *Italiam*, specialiter sic dictam fuêre: At generaliore & communiore illo *Italiæ* nomine, quo & hodie quicquid Mari infero, supero, Jonico, Alpibus inclusum est, continetur, comprehensæ eædem fuere. Quod à nobis evidentissimè superius ostensum capite quarto.

Alterum, quo Baronius nititur, argumentum, ficulneum planè, à fictitiâ Urbicariarum Regionum nominis ratione desumptum est. *Vrbicarias* enim ideò Regiones dictas comminiscitur ille, *quòd Vrbicario Canoni obnoxiæ forent*. .i. Annonæ Urbis Romæ: Cæterùm, obnoxiam huic annonæ, seu Urbicario Canoni, Siciliam, Africam, & si quas alias provincias. Lepidum mehercle commentum, & quod (qui novitatis amor esse solet) secundis etiam doctissimorum nuper virorum sententiis ἀνεξετάςως probatum fuit. Quo tamen ipso prædictas Leges directò impeti, everti quis non videt? Et verò si ita est, ut illi videri volunt, iam vel omnis Occidens (ne quid de Oriente dicam) *Vrbicariarum Regionum* appellatione censendus erit; quem tamen universum ab iis scriptores separasse priscos superius ostendimus: Deinde, si cum Suburbicariis provinciis Urbicarias easdem fuisse fatetur Baronius, ut fatetur; quomodo quæso *Suburbicariæ* dici potuerunt provinciæ, tanto terrarum marisque intervallo ab Urbe disparatæ? Verùm, hos sibi Baronius in simpulo fluctus excitavit, quasi verò res haud facilis exploratu esset, unde *Vrbicariæ* regiones dictæ fuerint: Utq; *Canon Vrbicarius*, seu *Annona Vrbica* (quomodo eas Aurelianus, apud *Vopiscum p. 131.* appellat) dicuntur, quæ affectatæ dicatæq;

Urbi

Urbi, seu Urbani usus frumenta: Item, ut *Vrbicus Papa*, Paulino Nolano Campaniæ Episcopo, *ep. 1.* qui aliàs Episcopus Urbis Romæ: Ut *Præfectura Vrbicaria*, quæ aliis Urbis Romæ: Ita, *Vrbicariæ Regiones*, quasi Urbi propriæ, dicatæque, & ad Urbis Jurisdictionem, seu Diœcesin pertinentes, dictæ fuêre. Denique quis non videt ridiculam vocis Etymologiam? non aliter ac si quis Urbicariam Præfecturam ab Urbicario Canone deducat. Possessivum hoc, *Vrbicarium*, ab Urbe dictum: Cuius adiuncta varia, Urbicaria Præfectura; Urbicaria Annona; Vrbicariæ Regiones.

DE ECCLESIIS SUBURBICARIIS

DISSERTATIO SECVNDA.

CAPVT I.

EPISCOPI ROMANI *specialis Diœcesis. Episcoporum omnium duplex cura. Universalis Ecclesiæ cura Monarchiam aut Diœcesin universalem non inducit.* PRÆROGATIVA, *seu* προεδρία *Episcoporum ab Urbium dignitate: Romani proinde, ab Vrbis Romæ Maiestate.* Auctoritas, *pro dignitate. Novâ dignitate aucta civitas vel provincia Episcopo novam dignitatem conferebat: Conciliorum in id & Principum decreta.*

Divisionem provinciarum exambire Episcopi prohibiti. Episcopus Romanus Princeps Episcoporum. Appellationes ad Episcopum Romanum quo exemplo adsertæ, ut, & quo iure damnatæ. Sæcularis typhus.

SUBURBICARIARUM Regionum tractatum excipiat alter hic, & affinis, *de Suburbicariis Ecclesiis*, quarum apud Rufinum mentio .i. de Ecclesiis, quæ per Suburbicarias Regiones propriam Antiquo more Episcopi, seu mavis cum recentiore ævo Patriarchæ Romani Diœcesin constituêre. Certè, Hincmarus quoque, ad Episcopos Rhemensis Diœceseos scribens, *ep. 6. c. 4.* SPECIALEM Romanæ Ecclesiæ Diœcesim memorat, his verbis: *Sancta*, inquit, *Romana Ecclesia plures Metropolitanos in sua speciali Diœcesi habet: Similiter & Alexandrina Ecclesia in sua Diœcesi.* &c.

Verùm priusquàm de eâ nunc ago, quædam ante ἐκ τῶν νομίμων Ἐκκλησιαστικῶν *i.* ex Jure Ecclesiastico hoc capite præmittenda, vitandæ videlicet confusioni, meiq; reprehensioni.

Primùm igitur tenendum illud, primis Ecclesiæ temporibus, duplicem, ut cæteris Episcopis, ita & Romano pariter curam incubuisse: Præter peculiarem, inquam, specialis Diœceseos suæ solicitudinem, quemq; Episcoporum universalem etiam Ecclesiam suo quodam modo curasse, πάντων κηδεμονίαν, & τὴν καθολικὴν ἐπισκοπὴν πεπιστευμένον; ut ex Cypriano, Eusebio, Clementis Constitutionibus, *lib. 6. c. 14.* Sozomeno, iam alii monuêre plures, deque eo commentandi nobis locus, cum bono Deo, futurus alius. Idq; hac ratione sive causa, quòd cum Ecclesia tota σύμπνους sit, eiusq; corpus συνημμένον, collatis omnium consiliis & auxiliis illi prospici, ne quod videlicet conniventi-

ventibus fortè quibuſdam detrimentum caperet, ſemper interfuit. Quod ideò præmonitum & nunc oportuit, ne qui hanc de *ſpeciali* Epiſcopi Romani *Diœceſi*, Diatribam lecturi fors erunt, iniquiorem illicò me exiſtiment: & pro univerſalis Eccleſiæ curâ ab Epiſcopo Romano aliquam multa probato more geſta aliquando in *Diœceſeos* aut Dominationis & ἰδιοκρατωρίας per totum orbem diffuſæ argumentum, (quod ſolemne Baronio & Bellarmino variis locis) trahere, illisq; exemplis obſtrepere porrò pergant.

Secundò, hîc & illud firmamenti loco tenendum, Priſcis & incorruptis Eccleſiæ Moribus, Summos Epiſcopos τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, i. primatum honoris ſeu προεδρίαν non iuxta Eccleſiarum omninò quibus præeſſent antiquitatem, & prioritatem ſortitos: alioquin certè Antiochenus Epiſcopus, Alexandrino & Hieroſolymitanus (cuius Eccleſia mater Chriſtiani nominis, ἁπασῶν τῶν ἐκκλησίων μήτηρ, erat) omnibus aliis Epiſcopis prælatus fuiſſet: verùm iuxta civitatum dignitatem, ἐκ τοῦ μεγέθους τῶν πόλεων (ut Julius I. Ep. Rom, *in epiſtolâ ad Euſebianos, quæ extat apud Athanaſium, Apolog. 2. p. 579.*) quarum ſcilicet Eccleſiis præeſſent, neque aliâ temerè ratione, tuliſſe. Enimverò, hoc exemplo, ne remotiora nunc arceſſam extrinſecus alia, Civitatis Dominatricis (Urbis ROMÆ videlicet) Epiſcopo τὰ πρεσβεῖα, ob Urbis Romæ dignitatem tributa olim, in confeſſo nunc eſſe debet. Inſignis quippe eam in rem, non privati alicuius hominis paucorumve auctoritas, verùm Oecumenici Concilii Quarti, CALCHEDONENSIS videlicet, quod celebratum Anno Domini 451, Canon viceſimus octavus: quo UNICA hæc & originalis prærogativæ Epiſcopi Romani cauſa aſſignatur, nempe, quòd Urbs cui præeſſet, REGINA foret, πόλις μεγάλη ἔχουσα βασιλείαν. Verba eius ſunt hæc: Καὶ γὰρ, inquit, τῷ θρόνῳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, ΔΙᾺ ΤῸ ΒΑΣΙΛΕΎΕΙΝ ΤῊΝ ΠΌΛΙΝ ΕΚΕΊΝΗΝ, οἱ πατέρες εἰκότως ἀποδεδώκασι τὰ πρεσβεῖα. Καὶ τῷ αὐτῷ σκοπῷ κινούμενοι οἱ ἑκατὸν πεντήκοντα θεοφιλέστατοι ἐπίσκοποι τὰ ἴσα πρεσβεῖα ἀπένειμαν τῷ τῆς νέας Ῥώμης

ἁγιοτάτῳ θρόνῳ, εὐλόγως κρίναντες τὴν βασιλείᾳ καὶ συγκλήτῳ τιμηθεῖσαν πόλιν καὶ τῶν ἴσων ἀπολαύουσαν πρεσβείων τῇ πρεσβυτέρᾳ βασιλίδι Ῥώμη, καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ὡς ἐκείνην μεγαλύνεσθαι πράγμασι. .i. *Etenim sedi Senioris Romæ, QVOD VRBS ILLA IMPERARET, Patres iure prærogativam dederunt. Et eadem consideratione moti* CL. *Deo amantissimi Episcopi æquam prærogativam tribuerunt sanctissimæ sedi novæ Romæ: rectè iudicantes, urbem quæ & Imperio & Senatu honorata esset, & æqualibus privilegiis cum Seniore Româ regia frueretur etiam in Ecclesiasticis rebus non secus ac illam extolli ac magnifieri oportere.* Quâ causa etiam Episcopus Romanus apud Eusebium, *lib. 3. de vita Constantini c. 7.* & Socratem, *lib. 1. c. 5.* hisce verbis designatur; ὁ τῆς βασιλευούσης πόλεως προεστώς. Et Valentinianus III. quoque, Placidiæ F. (circa eadem fermè Calchedonensis Concilii tempora) *Novellâ de Episcoporum ordinatione, inter Theodosianas 24.* hanc eandem pariter *Primatus* Romani (quem tamen is aliò, ad Leonis suggestionem, fatente Baronio, traducit) causam agnoscit. *Cùm*, inquit, *Sedis Apostolicæ primatum S. Petri meritum qui Princeps est Episcopalis coronæ* (Causam hanc Constantinopolitani, & posteà Calchedonensis Concilii Patres ignoraverunt: certè, eam secuti non sunt) *& ROMANAE DIGNITAS CIVITATIS, sacræ etiam Synodi firmarit auctoritas.* Quibus posteriorib. verbis, hoc ut obiter notem, non Nicæna Synodus, quod nonnullis visum fuit, verùm Constantinopolitana, habita Anno Domini 381, indicatur, ut ex eius Concilii Canone 3. cõstat. Neq; iuvat, quod *Synodi* & *sacræ legis* indefinita appellatione Nicæna Synodus sæpè indicetur: Id enim & cæteris tribus Conciliis Oecumenicis commune cum Nicæno fuit, ut probat Justiniani Novella 115. & Evagrius, *lib. 4. c. 11.* & sexta Synodus, *collat. 2.* & Victor Tununensis, *Chronico*.

Eandem quoq;, quam dixi, potioritatis (sic ut loquar) rationem innuit, & includit Gentilis scriptor Ammianus, *lib. 15.* sequentibus verbis: *Id enim*, inquit, *ille licet sciret IMPLETVM, tamen auctoritate QVOQ;, quâ POTIORES AETERNAE VRBIS EPISCOPI, firmari desiderio nitebatur ardenti.* Qui locus id reverà osten-

rà oſtendit, non IN Epiſcopos alios, verùm INTER Epiſcopos ſummam Romano auctoritatē ſeu dignitatem conſtitiſſe: *Auctoritatem*, inquam, quâ pariter notione Sulpitius Severus noſter, *ſacræ hiſt. lib. 2. Duorum Epiſcoporum, Damaſi Vrbis Romæ, & Ambroſii Mediolanenſis, SVMMAM EA TEMPESTATE AVTHORITATEM fuiſſe*, ſcribit: Quâ item ratione inter Reges unus alio auctoritate potior eſt: ſive perſonæ, ſive Regni ſui merito.

Neq; verò aliâ causâ, τὰ δευτερεῖα, ſeu πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, .i. Primatum honoris, (ut Dionyſius Exiguus rectè reddidit) μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον, poſt Romanū Epiſcopum Conſtantinopolitanæ Urbis (quam Joannes Chryſoſtom⁹, *Homiliâ de verbis Eſaiæ*, ὅλου τοῦ κόσμου μητρόπολιν, totius mundi Metropolim, vocat) Epiſcopus olim tulit, Alexandrino & Antiocheno in 3. & 4. Sedem ſubmotis, quàm quòd Conſtantinopolis altera Roma facta fuerat, διὰ τὸ εἶναι Κωνσταντινούπολιν νέαν Ῥώμην; ut habetur Canone Concilii Conſtantinopolitani (habiti A. D. 381,) tertiò: qui confirmatus eo Concilii Calchedonenſis, quem ſuperius protuli, canone: Regiæ Urbis intuitu proinde: *v. l. 6. & 15. C. Iuſtin. de Sacr. Eccl.* Cùm antiquiorib. retrò temporibus, antequam videlicet Conſtantinopolis à Conſtantino M. in novam Romam evecta ſeu elata fuiſſet, Alexandrinus & Antiochenus Epiſcopi poſt Epiſcopū Urbis Romæ, primas immediatè & indubiè tuliſſent.

Proinde etiam, prout novâ dignitate aliquâ provinciæ & civitates efferebantur, ita & Epiſcoporū earum provinciarum, vel civitatum Auctoritas pariter augebatur, ſic ut civiles provinciarum typos Eccleſiaſticæ formæ ſequerentur, priorūq; ἡ τῶν θρόνων ἀρχιερατικὴ τάξις *ſedium Eccleſiaſticus ordo* condcideret, ut Anna, *Alexiados* 1. ſcribit. Quod decimo ſeptimo Calchedonenſis Concilii rursùm Canone (ut omittam ipſius Lucii Papæ reſcriptum, *diſtinctione 80.* & Concilii Taurinenſis decretum, & ſequentis ævi exempla) firmatum verbis diſertiſſimis: Εἰ δὲ καί τις ἐκ βασιλικῆς ἐξουσίας ἐκαινίσθη πόλις, ἢ αὖθις καινισθείη, ΤΟΙ͂Σ ΠΟΛΙΤΙΚΟΙ͂Σ ΚΑῚ ΔΗΜΟΣΙΟΙΣ ΤΎΠΟΙΣ, καὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν παροικιῶν ἡ τάξις ἈΚΟΛΟΥΘΕΙ͂ΤΩ. i. *Si quæ verò civitas*

pote-

Potestate Imperiali innovata est vel deinceps innovata fuerit, *CIVILES ET PUBLICAS FORMAS Ecclesiasticarum quoq; Parochiarum ORDO CONSEQUATUR* (ubi *Parochiæ* nomen pro Episcopi territorio.) Quæ iisdem verbis Canone 38. Synodi in Trullo referuntur. Cui Patrum 630. seu Concilii Calchedonensis Oecumenici definitioni contrarium planè ἐκ παραλλήλου Innocentius I. Papa *epist. 20.* postea rescripsit. *Quod sciscitaris*, inquit, *utrum divisis Imperiali iudicio provinciis*, *ut duæ metropoles fiant*, *sic duo Metropolitani Episcopi debeant nominari*, *non verè visum est*, *ad mobilitatem necessitatum mundanarum Dei Ecclesiam commutari*, *honoresq; aut divisiones perpeti*, *quas pro suis causis faciendas duxerit Imperator*. Similia his & apud Leonem *ep. 54.* videsis. Gelasius etiam, *in ep. ad Episcopos Dardaniæ*: *Alia potestas est regni sæcularis*, *alia Ecclesiasticarum distributio dignitatum*. Egregiè verò omnes hi, & ut decuit, Patrum decreta strenuè & velut ex compacto rescindentes. Illam certè, patres Calchedonenses *Canone 12.* Episcoporum ambitionem rectè repressere, qui, ut Metropolitani essent, provinciæ divisionem apud Imperatorem exambiebant.

In hanc rem elegans quoque Justiniani *Novella 11.* quâ testatur, quòd cum Illyrici fastigium Sirmii (ubi sedes Prætorio Præfecti fuerat) tam in civilibus quam in Episcopalibus causis aliquando fuisset, postea translatâ Sede Præfecti Prætorio Thessalonicam, ipsam Præfecturam sacerdotalis quoq; honor secutus fuerit, & Thessalonicensis Episcopus non sua auctoritate, sed SUB UMBRA PRÆFECTURÆ, aliquam prærogativam meruerit. Et solemnis illa quoque olim propter factam Cappadociæ divisionem inter Basilium & Anthymũ sub Valente Imp. controversia: de qua Gregorius Nazianzenus ἐπιταφίῳ εἰς τὸν μέγαν Βασίλειον, *Basiliens. edit. p. 91.* in qua certè superiorem evasisse Anthymum, res & experientia testantur, qui (ut Nazianzenus loquitur) ἠξίου τοῖς δημοσίοις καὶ τὰ ἐκκλησιαστικὰ ΣΥΝΔΙΑΙΡΕῖΣΘΑΙ. i. *qui una cum publicis seu civilibus & Ecclesiastica quoq; dividi oportere* prætendebat.

Et

Et hâc igitur de causâ factum, ut quemadmodum Præfectus Urbi *propter Urbis dignitatem seu auctoritatem* Magistratuum olim primus, & post Imperatorem *facies* (ut Juvenalis ait) *toto orbe secunda* esset: Ita Episcopus Urbis Romæ eandem quoq; ob Urbis dignitatem, Episcoporum in ordine princeps, primicerius, ἔξαρχος, & κορυφαιότατος, & Ecclesia Romana *principalis*, haberetur. Adeò quidem, ut quemadmodum à cæteris, quà Romanum erat Imperium, ordinariis Judicibus ad Præfectum Urbi appellatum aliquando, & extra ordinem, Constitutionibus Principum id permittentibus & specialiter id tribuentibus, ex Dione, Statio, Vopisco, Aristide superius ostendimus: Ita Urbis Romæ Episcopi quoq; (limitatis quàmlibet, Nicænâ & Constantinopolitanâ Synodis, Episcoporum finibus) *Appellationum* sibi ius ex aliis, quàm suæ *Diœceseos* provinciis contra Canonica statuta avidius assertum irent. Quod factum aliquando Orientales Episcopi, ut iniquum & Canonibus Ecclesiasticis adversum in Julio, Ecclesiæ Romanæ prærogativâ seu πρεσβείοις abutente, palàm damnavêre: ἐχαλέπαινον, ὡς ὑβρισμένης αὐτῶν τῆς συνόδου καὶ τὸ γενόμενον ὡς ἄδικον, καὶ ἐκκλησιαστικοῦ θεσμοῦ ἀπᾶδον, διέβαλλον, Sozomeno, *lib. 3. c. 7.* referente. Et Patres Africani quoque Concilio Milevitano primo, habito A. D. 402. *canone 22.* & Concilio Carthaginensi, A. D. 419. sub anathemate damnavêre, nullâ suppositii, quo ius id tùm asserebatur, Canonis Nicæni ratione habitâ; Sæcularem typhum in Ecclesiam eâ re induci, τὸν καπνώδη ΤΥ͂ΦΟΝ ΤΟΥ͂ ΚΟ͂ΣΜΟΥ εἰσάγεσθαι τῇ τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησίᾳ, Synodicis ad Bonifacium & Cœlestinum ipsum Epistolis, seriò quiritantes, ut habetur in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ. Sanè haud aliis verbis, quàm Ephesini posteà Patres Antiocheni Episcopi, ultra Diœcesin suam evagantis, typhum coercuêre, *canone 8.* μὴ δὲ, inquiunt, ἐν ἱερουργίας προσχήματι ἐξουσίας ΚΟΣΜΙΚΗ͂Σ ΤΥ͂ΦΟΣ παρεισδύηται, *ne sub specie administrationis rerum sacrarum, potentiæ SAECULARIS TYPHUS irrepat.* Et similibus postea verbis Carolus Calvus, Francorum

R. noster, Hadrianum 2. in causâ Hincmari Laudunensis, seu Transalpinarum appellationum, quas sibi Hadrianus usurpare volebat, repulit. *Contra morem*, inquit, *decessorum ac prædecessorum vestrorum hoc dictum invenimus*; *id est*, *umbrosum sæculi typhum inducere in Ecclesiam suam*. *Appellationum* enim ratio in Ecclesia olim hæc fuit, quod notandum summopere, ut à suæ Diœceseos Synodis, & Patriarchis ad alios provocare non liceret: ut statutum *Canone 6. Concilii Oecumenici Constantinopolitani*: à Justiniano *l. 29. C. de Episc. aud. Novella 123. c. 22.*: à Leone & Constantino *in Eclog. legum tit. 10. c. 6.* Photius Nomocanonis *lib. 9. c. 5.* ὅτι ἐκκαλοῦνται αἱ τῶν πατριαρχῶν ψῆφοι.

Ex superioribus brevis hæc causæ coniectio nascitur: Ob Urbis Romæ dignitatem, Præfecti Urbi exemplo, Canonibus Ecclesiasticis summam inter omnes Episcopi Romani dignitatem seu προεδρίαν firmatam: At *Appellationes* ad Episcopum Romanum ex aliis, quàm suæ Diœceseos provinciis, ἐκ τῶν ὑπερορίων, Patres non admisisse, quin seriò damnasse. *Ordinem* inter Episcopos induxit, sive tulit, vetus Ecclesia: *Sæcularem* typhum appellationibus illis admissis induci noluit. Sic itaq; statuendum nobis, *veterem Ecclesiam Civilis administrationis & ORDINIS typum secutam hactenùs, ut ne IMPERIUM vel Dominatus aliquis sub specie dignitatis & προεδρίας à quocunq; exerceretur. Iuxta Domini præscriptum, Apostolis datum*, οἱ ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν, καὶ οἱ μεγάλοι κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν: οὐχ' οὕτως δὲ ἔσαι ἐν ὑμῖν. Qui tamen idem, per os Apostoli sui præcepit, πάντα κατὰ ΤΑΞΙΝ γινέσθω.

CAPUT II.

DIOECESES *Episcoporum, ad Præfecturarum exemplum: Episcopi proinde Romani diœcesis, eadem quæ Præfecti Urbi: & Episcopi Alexandrini, eadem quæ Præfecti Alexandriæ seu Augu-*

Auguſtalis: Nicæni Concilii canon 6. eam in rem adductus, explicatus. Epiſcoporum *gradus varii. Patriarchæ, & Metropoles diœceſeon. Patriarcharum numerus. Socrates defenſus. Alexandria, Ægypti metropolis:* Vrbs κατ' ἐξοχὴν, *& Præfecti Auguſtalis ſedes.* Eutycheum, *Prætorium Alexandriæ. Syneſii locus ab Interpretis inſcitiâ vindicatus.* Præfectus Alexandriæ, *pro Præfecto Ægypti. Metropoli vindicatur totius Præfecturæ gloria. Diœceſis Alexandrina. Provinciæ Ægypti tres. Epiſcopi Alexandrini diœceſis. De ſimilibus idem Patrum iudicium. Alexandrini Epiſcopi cum Romano comparatio, paritas.*

SICUT ad Urbium, & in iis Præfectorum, Maieſtatem conformata quoque Epiſcoporum *Auctoritas* ſeu προεδρία, ita & ad Diœceſeon pariter, ſub Urbibus & Præfectis illis conſtitutarum, formam & typum, eorundem Epiſcoporum *Diœceſis* olim firmata fuit: Ita ſcilicet, ut iisdem quibus Præfecturæ terminis, Epiſcopatus pariter includerentur.

Ad eum itaque morem, Epiſcopi quoq; Urbis Romæ Diœceſis ſeu SEDES iisdem quibus Præfectura Urbicaria finibus MORE ANTIQUO circumſcripta ſuit. Intra Suburbicarias videlicet Regiones & Eccleſias, ſeu centeſimum ab Urbe miliarium (hæc ut ita dicam eius *Pedatura* fuit) neque ultra: ſic ut uterq; iam, Præfectus videlicet, & Epiſcopus Urbis, eiusdem Urbicariæ diœceſeos διοικητὴς eſſet: Ille, ἐν κοσμικοῖς, ut Ca-

nones loqui amant: hic, *ἐν ἐκκλησιαστικοῖς*. Haud aliter, quàm Alexandrini & Antiocheni Episcoporum Diœcesis: illius, per Præfecturam Alexandriæ, seu Ægypti integram, Præfecti Alexandriæ seu Augustalis exemplo: huius verò, per Orientis Diœcesim seu Regiones omnes sese diffudit.

Enimverò, Magno Concilio NICÆNO (quod Anno Domini N. CCCXXV. à Constantino M. Imp. indictum, eiusdemque præsentiâ illustratum fuit) hi nominatim Episcopi Urbis Romæ per eius Urbis Præfecturam OMNEM Diœceseos limites indicantur, notantur, atque Alexandrini Ep. Dicecesi magis magisque firmandæ in exemplum & argumentũ trahuntur. Canonis itaque super eo sexti, fideliter in hæc tempora, ex veteris Ecclesiæ chartario, & diptychis, ad nos derivati verba sunt hæc: τὰ ἈΡΧΑΙ͂Α ἜΘΗ κρατείτω, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ καὶ Πενταπόλει: ὥστε τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Ἐπίσκοπον ΠΆΝΤΩΝ τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν: ἐπειδὴ ΚΑῚ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ Ἐπισκόπῳ ΤΟΥ͂ΤΟ ΣΥΝΥΘΈΣ ἐστιν; ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ ἐν ταῖς ἌΛΛΑΙΣ ΕΠΑΡΧΊΑΙΣ τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις, .i. *ANTIQVI MORES obtineant, qui sunt in AEgypto & Libya & Pentapoli* (his verbis omnes Ægyptiacæ PRÆFECTURÆ seu Diœceseos provinciæ comprehenduntur) *ut Alexandrinus Episcopus horum OMNIVM habeat potestatem; quoniam ILLA est Romano ETIAM Episcopo CONSVETVDO; Similiter autem & in Antiochia & in ALIIS PROVINCIIS (PRAEFECTVRIS) privilegia serventur Ecclesiis*. Quem Canonem ipsum Gelasius Cyzicenus, *in actis Synodi Nicænæ ex Bibliothecâ Vaticanâ productis p. 61.* refert: & Nilus, *in libro de Primatu*. Et Gratianus ipse canonem hunc collectioni suæ, à Gregorio 13. retractatæ roboratæque, *distinct. 65. c. 6.* his pariter verbis inseruit; *MOS ANTIQVVS perduret in AEgypto vel Lybia & Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum OMNIVM habeat potestatem: quandoquidem & Episcopo Romano PARILIS MOS est*. Epiphanius etiam (qui circa A. D. 376. scribebat) *hæresi 68. de Meletii AEgyptii schismate in pr.* hunc Episcopi Alexandrini morem sequentibus verbis notat: τοῦτο γὰρ ἜΘΟΣ ἐστὶ, τὸν ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ Ἀρχιεπίσκοπον

πάσης τε Αἰγύπτου καὶ Θηβάϊδος, μάλιστα τε καὶ Λιβύης ἀμμωνιακῆς, μαρμαρικῆς, μαρμαρίδος τε καὶ πενταπόλεως ἔχειν τὴν ἐκκλησιαστικὴν διοίκησιν.

Cæterùm, ne qua genuinæ deinceps Canonis iſtius ſententiæ eludendæ rima ſupereſſe, isq; in alienum ſenſum traduci, quod hactenùs fit, porrò queat, repetenda quædam etſi breviter, paulò altiùs tamen hîc nobis.

Primùm illud tenendum; ut in Imperio Romano variæ *Diœceſes*, & ſub his rurſùm variæ *provinciæ*; & in provinciis variæ *civitates* fuêre, hæq; omnes à variis Magiſtratibus adminiſtratæ; ita & tres pariter Epiſcoporum gradus hos fuiſſe: Horum enim alii ſingulis *civitatibus*, alii ſolidis *provinciis*; tertii *Diœceſibus* integris præpoſiti fuêre: omnes quidem Epiſcopi: ſed ſecundi, Metropolitani à metropoli provinciæ: ultimi, ἔξαρχοι, πατριάρχαι. Hinc itaq; διοικήσεων ἔξαρχοι & πατριάρχαι propriè dicti, ut Conciliorum acta variis locis teſtantur: & Diœceſes ipſæ, πατριαρχίαι, Socrati, *lib. 5. c. 8.* Hoc itaq; *Exarcharum* & *Patriarcharum* numero Romanus, Alexandrinus, & Antiochenus Epiſcopi habiti ſunt, utpote quibus ſolidæ *Diœceſes* i. plures iunctim provinciæ more antiquo commiſſæ fuêre: de quo mox pluribus. Hinc, in Concilio Antiocheno 2. (inter acta Concilii Calchedonenſis, *act. 14.*) Domnus ἔξαρχος ἀνατολικῆς διοικήσεως, pro Antiocheno Epiſcopo, cui ſcilicet tota Orientis Diœceſis parebat, dicitur: Et Alexandrinus Epiſcopus, in *l. 3. C. Th. de Epiſc. iudicio*, Præſul per Ægypti Diœceſim vocatur. Tot proinde in Imperio Romano Exarchæ, ſive *Patriarchæ*, dici potuêre, quot *Diœceſes* erant. Zonaras *in Canone 9. concilii Calchedon.* ἐξάρχους τῶν διοικήσεων, τοὺς πατριάρχας εἶναι φασίν. Ut iam ridiculi ſint, qui hoc canone Nicæno tres tantùm *Patriarchas* conſtitutos arbitrantur, hoc argumento, *quòd Romani Alexandrini & Antiocheni tantùm eo mentionem factam reperiant.* Quibus vel illa eiusdem Canonis verba apertiſſimè refragantur. Καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις Ἐπαρχίαις &c. quibus ſanè eadem privilegia cæteris ΕΠΑΡΧΙΩΝ ſeu Diœceſeon Exarchis ſive Patriarchis, tribuuntur, ſive confirmantur.

quæ tribus illis in aliorum exemplum fermè productis. Itaq; rectè quoq; Socrates, *lib. 5. c. 8.* Constantinopolitanâ Synodo quinq; per Orientem diœceses, quas ævi sui appellatione *Patriarchatus* vocat, constitutas, distinctas, quæ ante ob persecutionem confusæ fuerant, tradit: ut ex canone 2. illius Synodi manifestissimè apparet. Nam qui eo canone ὑπὲρ διοίκησιν Ἐπίσκοποι vocantur, & in *l. 3. Cod. Th. de fide Catholicâ* similiter, Diœceseon Episcopi, hos Socrates πατριάρχας vocat.

Secundò observandum, ut quamlibet provinciam, ita & *Diœcesin* (quæ plures, ut dixi, complectebatur provincias) suam habuisse METROPOLIM, à quâ *Diœcesis* quoq; ipsa nomen sortiebatur, inque eâ Magistratus & Patriarchæ quibus Diœcesis commissa erat, sedem constituebant. Hoc certè exemplo ALEXANDRIAM Ægyptiacæ sub Romanis Diœceseos Metropolim, verticem & Matrem fuisse, seu totius Ægypti principatum tenuisse, constat: ut ex Ammiano, *lib. 22. p. 251.* Pæanio, Eutropii Metaphraste *lib. 2.* Dione Chrysostomo *in Oratione ad Alexandrinos*, Theodoreto *lib. 1. c. 4.* aliis clarum esse potest. Unde quoq; per eminentiam ΠΌΛΙΣ seu *Vrbs, civitasve*, Alexandria dicta: præter *l. 15. Cod. Theod. de Legatis*, & *l. 9. Cod. Theod. de operib. public.*, Stephanus: ἐλέγετο ἡ κατ' ἐξοχὴν ΠΌΛΙΣ, ὡς καὶ ἐπὶ Ῥώμης λέγεται ὄνομα. Et Eustathius, *Iliad. β.* φέρεται ἱστορία, πόλιν τὰς ἀρχὰς αὐτῷ ἔτι δίχα προσθήκης, κατ' ἐξοχὴν κληθῆναι τὴν Ἀλεξάνδρειαν. Adeò quidem, ut secunda inter Urbes orbes Romani Alexandria olim censeretur: Ideò, δευτέρα τῶν ὑπὸ τὸν ἥλιον Dioni Chrysostomo, *prædict. Orat.* μεγίστη etiam μετὰ τὴν Ῥώμην, Aristidi, *in Orat. de Romæ laudibus. v.* & Herodianum *lib. 4. p. 453.* Hinc adeò Præfecti Augustalis, (cui Diœcesis Ægyptiaca commissa erat) Alexandria sedes fuit, ut ex subscriptione *l. 1. Cod. Theod. de Alexandrinæ plebis primatib. & l. 1. π. de offic. Præfect. Augustal.* discere licet. Inibiq; Prætorium eius, EUTYCHEI nomine, fuit, *d. l. 1. de Alex. pl. prim.* cuius legis ad Præfectum Augustalem datæ subscriptio hæc est, P. P. ALEXANDRIÆ EUTYCHEO: Eiusq; & apud Synesium

nesium mentio, *epist. ad Anastasium 79. p. 226*. Ἀνδρόνικ@, inquit, εὐεργέτης τῆς ΕΥΤΥΧΟΥΣ (τῶν ὑπάρχων οἰκίας) ἐσόμεν@. Quem locum mirum quam perperàm interpretatus fuerit etiam nuperus Synesii editor. Indeq; Sextus Rufus Festus, in *Breviario ad Valentinianum*, Præfectum Ægypti indicare volens, *apud Alexandrinos administrantem* vocat: & apud Scriptores Ecclesiasticos non semel Præfectus Augustalis his verbis designatur, ὁ τῆς Ἀλεξανδρείας ὕπαρχ@ vel etiam, ὁ τῆς Ἀλεξανδρείας Αὐγουστάλι@ *v.* Socratem *lib. 4. c. 16. & lib 5. c. 16. & lib. 7. c. 13.* ut & Sozomenum *lib. 7. c. 15.* Georgium Alexandrinum *de v. Chrysostomi, apud Photium n. xcvi.* Mos hic scilicet pervetus & frequens *Diœceses*, præfecturas, & provincias de *Metropoleon* nominibus designandi, & totius provinciæ gloriam *Metropoli* vindicandi: de quo nobis more dicendi locus alius. Ita certè provincia Proconsularis, seu Africæ, *Provincia Karthago* à Constantino M. *in l. 7. Cod. Th. de decurion.* & à Sexto Rufo, *in Breviario ad Valentinianum* dicitur: *Per omnem Africam sex provinciæ factæ sunt, ipsa ubi Carthago est proconsularis.* Suidas. Καρχηδὼν, ἡ ἀφρική. vel etiam, Provincia *Carthaginensis.* de quo alibi. Ad eum itaq; Præfecti Ægypti morem, Exarchi seu Patriarchæ quoque sedes *Alexandriæ* olim constituta fuit: eiusque Episcopatui annexa tota Diœcesis AEgyptiaca, & Alexandrinæ Diœceseos quoq; nomine notata.

Tertiò tenendum, in AEgyptiacâ Diœcesi tres priscis temporibus provincias fuisse, quæ omnes Præfecto Augustali, sive Alexandrino, parebant. Ammianus Marcellinus quoq;, *lib. 22.* in numero consentit, sed in nominibus à Canone Nicæno leviter discrepat. *Tres provincias*, inquit, *AEgyptus fertur habuisse temporib. priscis; AEGYPTUM ipsam & THEBAIDAM & LIBYAM: quibus duas adiecit posteritas: ab AEgypto Augustamnicam, & Pentapolim à Libya sicciore disparatam.* Omitto ad hanc rem testimonia alia; & ut post Nicæni Concilii tempora earum provinciarum numerus auctus fuerit. Sub Theodosio certè Juniore Notitia Imperii intra AEgyptiacam

Diœce-

Diœceſin Præfecto Auguſtali commiſſam, ſex has provincias enumerat: *Libyam ſuperiorem, Libyam inferiorem. Thebaidem, Aegyptum, Arcadiam, Auguſtamnicam.*

His ita breviter cognitis & habitis, de Canonis ipſius mente nulla iam difficultas ſupereſſe poteſt. Nam ut primis priſcisque ſæculis Metropoleon Epiſcopi alii ad civilium præfecturarum exemplum Diœceſes ſortiti fuere (hic fundus & ſepes huius Pragmatiæ) ita & Epiſcopus Ægyptiacæ Metropoleos Alexandrinus ad præfecturæ Ægyptiacæ ſeu Alexandrinæ exemplum Diœceſim ſuam pariter more antiquo protendit. Quem ſanè morem & Diœceſeos Epiſcopi Alexandrini amplitudinem Nicæni Patres propoſito ſuperius à nobis Canone, ratam eſſe iubent: Parili inſuper eam in rem, ſed illuſtri, Romani Epiſcopi more ſive exemplo extrinſecus adducto: his ſcilicet verbis: ἐπειδὴ ΚΑῚ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ Ἐπισκόπῳ ΤΟΥ͂ΤΟ ΣΥΝΗΘΕ΄Σ ἐστιν: mox: ὁμοίως δὲ ἐν ταῖς ἄλλαις ΕΠΑΡΧΙ΄ΑΙΣ &c. ut iam Canonis iſtius & argumentationis manifeſtiſſima omnium, vel quolibet é trivio ad cenſendum admiſſo, ſententia hæc ſit: *Quemadmodum in* ΕΠΑΡΧΙ΄Α *ſeu præfectura ſuâ (urbis Romæ ſcil.) Epiſcopus eius urbis Metropolitanæ OMNIVM per eam præfecturam Eccleſiarum* διοίκησιν *MORE ANTIQVO obtinet, ita etiam in* ΕΠΑΡΧΙ΄Α *ſua* (i. *Præfectura AEgypti ſeu Alexandrina) Epiſcopum Alexandrinæ urbis OMNIVM per eam præfecturam Eccleſiarum* ἐκκλησιαστικὴν ἐξουσίαν *eodem MORE ANTIQVO obtinere oportere. Idq; & in CAETERIS OMNIBVS Præfecturis obſervandum: Et nominatim in Antiocheno Epiſcopo, ut & hic videlicet totius Orientis Comitivæ Eccleſiarum* διοίκησιν *obtineat: Orientis, inquam,* i. *Orientalis Diœceſeos; nam lapſus Vir Doctus, qui id aliter interpretatus eſt.*

Faciunt proinde hoc Canone Patres Nicæni tale aliquid, quod qui Juriſdictioni præſunt, ſolent, ad ſimilia videlicet ut procedant, atque ita ius dicant. Valeat nimirum æquitas, quæ in PARI CAUSA paria iura deſiderat.

Parem certè, & (ut Gratiani verbo utar) PARILEM Epiſco-

Episcopi Alexandrini causam fuisse, eumq; & Romano Episcopo ἰσότιμον habitum olim constat. Ex innumeris exemplis pauca nunc ad præsens institutum adduxisse iuvabit. Athanasius, *libro de Synodis Arimini & Seleuciæ pag. 707.* auctor, Samosatensem à duobus Dionysiis, Romano & Alexandrino, Episcopis condemnatum. Διονύσιοι γὰρ δύο γεγόνασιν ἔμπροσθεν πολὺ τῶν ἑβδομήκοντα τῶν καθελόντων τὸν Σαμοσατέα: τούτων ὁ μὲν τῆς Ῥώμης, ὁ δὲ τῆς Ἀλεξανδρείας ἦν Ἐπίσκοπος. Ita, Theodosius M. Arrianâ hæresi contaminatam Imperii sui partem, ut ad Damasi, sic & ad Petri Alexandriæ Episcopi exemplum revocandam putavit: aureâ prorsus illâ, etsi tralatitiâ iam sanctione *l. cunctos populos, Cod. Theod. & Iustin. de fide Catholica. Cunctos populos*, inquit, *quos clementiæ nostræ regit temperamentum, in TALI volumus Religione versari, quam divinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis religio usque nunc ab ipso insinuata declarat: quamque Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum, virum Apostolicæ Sanctitatis: ut secundum Apostolicam disciplinam Evangelicamque doctrinam* &c. Non aliter, quàm B. Hieronymus, *ep. ad Marcum Presbyterum tom. 3. fol. 143. l. D.* ad eorundem Damasi, & Petri, scil. exemplum & religionem provocat: *Hæreticus vocor*, inquit, *si ab Arrianis, meritò: si ab Orthodoxis, qui huiusmodi arguunt fidem Orthodoxi esse desierunt: aut si eis placet, Hæreticum me cum Occidente, hæreticum me cum AEgypto, hoc est cum DAMASO PETROQVE condemnent. Quid unum hominem, exceptis sociis, criminantur?* Et post hæc omnia tamen, si Deo placet, SOLIUS Episcopi Romani semper fuit, iudicium de hæreticis, & de religione.

Adeò autem par utriusq; Episcopi Romani & Alexandrini ratio fuit, ut inter ipsos etiam aliquando dissensiones ortæ fuerint: de quibus pacificandis ab Ecclesiâ Africanâ anno Domini 407. (ut habetur in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ) statutus hic Canon: *Placuit, ut de dissensione Romanæ atq; Alexandrinæ Ecclesiæ ad Sanctum Papam Innocentium scribatur, quò VTRA-*

QVE ECCLESIA INTRA SE pacem , quam præcepit Dominus , teneat.

Sed elegans admodùm hic Socratis (circa A.D. 430. ſcribentis, centum annis poſt Concilium Nicęnum) locus, *lib. 7. c. 11.* quo Alexandrinũ & Romanum Epiſcopos pari paſſu ambulaſſe apparet, etiam in TYPHO in Eccleſiam inducendo. τῆς Ῥωμαίων, inquit, Ἐπισκοπῆς, ὉΜΟΊΩΣ τῇ Ἀλεξανδρέων πέρα τῆς ἱερωσύνης, ἐπὶ δυναστείαν ἤδη πάλαι προελθούσης. i. *Epiſcopatus Romanus PARITER* ut *Alexandrinus ultrà Sacerdotii fines ad SECVLAREM PRINCIPATVM iam olim proceſſerat.* Quod ipſum de ſolo Alexandrino Epiſcopo paulò ante iam dixerat, *eiuſdem lib. c. 7.* de Cyrillo. n. Alexandrino Epiſcopo poſt Theophili obitum in Epiſcopatum evecto A. D. 412. agens, ἐπὶ τὴν Ἐπισκοπὴν inquit, ἀρχικώτερον Θεοφίλου παρῆλθε. καὶ γὰρ ἐξ ἐκείνου ἡ ἐπισκοπὴ Ἀλεξανδρείας πέρα τῆς ἱερατικῆς τάξεως καταδυναστεύειν τῶν πραγμάτων ἔλαβε τὴν ἀρχήν. In Eccleſiaſticis certè & hæc aliquando Epiſcoporum Alexandrinorum ambitio fuit, circa A. D. 439. & 448. ut contra Nicæni Conſtantinopolitani Concilii decreta, Orientalibus Eccleſiis omnibus præſidere ſe dicerent, tentarent, de quo v. *Theodoretum ep. 86.*

CAPUT III.

RUFINI *Aquileienſis epitome canonis 6. Nicani. Valentiniani 3. lex, è Cod. Theod. explicata. Schiſmaticorum pœna inter alias. Donatiſtæ Karthagine pulſi. Relegationis ultra centeſimum ab Urbe lapidem exempla varia: eiusq; ratio.* Urbe pelli, *eſt ultra C. lapidem ab Urbe pelli. In Tacito emendatio tentata.* Italiæ *Epiſcoporum Diœceſes à Romana diſtincta. Mediola-*

diolanum Italiæ Metropolis, quo sensu. Mediolanensis & Romani Ep. summa æquaq; auctoritas. Sicilia ab Episcopi Romani Diœcesi separata. Ignatii locus elegans. Χωρίον τῶν Ῥωμαίων. Regio pro Diœcesi.

ET hæc quidem genuina, quam superiori capite ni fallor, abundè firmavimus, Nicæni Canonis sexti, mens & sententia est, quam aliis quoque vetustissimorum & fidelissimorum Interpretum præsidiis destitutus quilibet, iudicii modò non omnis expers, iam per se animadvertere possit. Verum, huic accedat præterea RUFINI AQUILEIENSIS Scriptoris, Nicæni Concilii temporum proximi, auctoritas hâc parte omni exceptione maior. Is certè disertissimis quoque verbis eandem quam evici seu demonstravi, Canonis istius Nicæni, de Alexandrini & Romani Episcoporum Diœcesibus sententiam nobis exhibet, *lib. 1. hist. Ecclesiast. c. 6. Vt apud Alexandriam*, inquit, *& in Vrbe Roma VETVSTA CONSVETVDO servetur, ut vel ille Aegypti, vel hic SVBVRBICARIARVM ECCLESIARVM solicitudinem gerat.* Intra Suburbicarias igitur Ecclesias OMNES, seu Diœcesim Urbicariam, Specialis Episcopi Urbis Romæ Diœcesis MORE ANTIQVO sese diffudit, i. intra LATIUM utrumq;, Tusciam & Picenum Suburbicarias regiones: Eo scilicet more, quo civilis per eas regiones auctoritas ad Præfectum Urbis Romæ pertinebat, vel quod idem est, INTRA CENTESIMUM AB URBE MILIARIUM. Et huc sanè iam pertinet Valentiniani Tertii Placidiæ F. ad Faustum Præfectum Urbis Romæ (centesimo post Concilium Nicænum præcisè anno data) Constitutio: nempè *lex 62. Cod. Theod. de hæreticis*: Cuius ver-

ba ſunt hæc: *Imp. Theodoſius A. & Valentinianus Caſ. ad Fauſtum P. V.* (Romæ) poſt alia: *Circa hos maximè urgenda commotio eſt, qui pravis ſuaſionibus à Venerabilis Papæ ſeſe COMMVNIONE ſuſpendunt, quorum ſchiſmate plebs etiam reliqua vitiatur. His conventione præmiſſa, viginti dierum condonavimus inducias, intra quos niſi ad COMMVNIONIS redierint VNITATEM, expulſi usque ad CENTESIMVM LAPIDEM, SOLITVDINE, QVAM ELIGVNT, MACERENTVR.* Vult ſcilicet Valentinianus Placidiæ F. eâ lege, Schiſmaticos in Urbe Româ, qui ab Epiſcopi Romani ſeſe communione ſepararent, & altare contra altare erigerent, plebemq; ſub Epiſcopi Romani Diœceſi conſtitutam ab eius communione abducerent, in ſchiſmate perſeverantes, extra centeſimum lapidem relegari, id eſt, ut extra Præfecturæ, ita & extra Epiſcopatus Urbis Romæ fines, nempe ut qui à COMMUNIONE Epiſcopi Romani ſeſe ſeparaſſent, nullam intra Epiſcopatum eius conſiſtendi facultatem haberent. Schiſmaticorum ſcilicet pœna hæc inter alias fuit, ut extra Epiſcopatus eius terminos relegarentur, intra quem ab Epiſcopi communione ſe ſeparaſſent vel ſeparati fuiſſent. Ad eum modum Donatiſtas Carthagine, & provincia adeò Proconſulari Africa, pulſos teſtatur Optatus, & Hieronymus *Chronico*. Neq; abſimile quoq; apud Herodianum, *lib. 2.* huius relegationis exemplū. Severus Imp. quippe cùm Prætorianos milites Urbe Româ ob Pertinacis cædem faceſſere iuberet, ut Urbis TERMINIS ſeu finibus omninò expellerentur, eos etiam usq; ad centeſimum miliarium excedere iuſſit, his verbis: παραγγέλλω τε ὑμῖν ἀπιέναι ὡς πορρωτάτω τῆς Ῥώμης ἀπειλῶ καὶ διόμνυμαι καὶ προσαγορεύω κολασθήσεσθαι κεφαλικῶς εἴ τις ὑμῶν ἐντὸς ἑκατοστοῦ σημείου ἀπὸ τῆς Ῥώμης φανείη. Apud Dionem pariter *lib. 55.* propter famem Romæ graſſantem, gladiatores mancipiaq; venalia, ὑπὲρ πεντήκοντα καὶ ἑπτακοσίους (ita enim legendum, non ἑξακοσίους) σταδίους, Urbe pulſa memorantur: Cùm Sutonius *Octavio c. 42.* & poſt eum Oroſius *lib. 7. c. 3.* Urbe pulſa ſimpliciter dicat. Et apud Tacitum *lib. 13. Annal.* relegationis huius quoque proculdubio exem-

exemplum: *Quid enim*, inquit, *aliud læso patrono* (ROMÆ) *concessum, quàm ut Vicesimum ultra lapidem in oram Campaniæ libertum releget*. Nam ut *centesimum* pro *vicesimum* reponendum existimem, multa suadent: Primùm, tot iam à nobis huius relegationis exempla superiùs allata: Secundò, quod Campaniæ oram non à vicesimo ab Urbe lapide, verùm à centesimo cœpisse ex iis quæ superiore Diatribâ tradita sunt à nobis, evidentissimè constat: Denique, quia in centenario numero hæc ratio est, quòd ad Præfectum Urbi pertinuerit olim patronos de libertis querentes audire, *l. 1. §. sed & patronos 2. & §. cum patronus 10. π. de offic. Præf. Vrb.* Cuius certè Præfecti Diœcesis, seu ordinaria Jurisdictio, centesimo lapide finiebatur, ut fusè dictum superioris Diatribæ *capite 2.*

Sanè, ab hoc etiam principio, centesimi lapidis dinumerationem seu dimensionem alio quoq; traductam ostendit *lex scire oportet 13. §. 2. 3. π. de excusat. & §. qui autem. Instit. de excusat. tutor.* vide & *l. 35. C. Th. de Episcopis.*

Roma itaque cum Suburbicariis intra centesimum lapidem regionibus, ut Præfecti, ita & Episcopi Urbis Romæ, specialis seu propria, de more & consuetudine, Diœcesis fuere, seu Episcopatus Romani cingulum fuit. Ultra quos terminos *Italia* specialiter dicta initium sumebat, de quo superioris Diatribæ *capite quarto*. Et ideò quoque à *Româ*, *Romanaq; Vrbis & Episcopi* Diœcesi, *Italia*, *Italiaque Episcopi* separati leguntur, qua ratione à *Præfecti Vrbi Diœcesi* (intra Romam & Suburbicarias regiones) *Italiam* distinctam, superiore Diatribâ abundè probatum fuit. Ut de multis & innumeris pauca nunc seligam. Apud Eusebium, *lib. 7. histor. Eccles. cap. vigesimo quarto*. Βασιλεὺς Αὐρηλιανὸς τούτοις νέιμαι προστάττων τὸν οἶκον οἷς οἱ κατὰ τὴν ΙΤΑΛΙ'ΑΝ καὶ τὴν ΡΩΜΑΙ'ΩΝ ΠΟ'ΛΙΝ ἐπίσκοποι τοῦ δόγματος ἐπιστέλλοιεν. ubi fortè & Italiæ Episcopis, Episcopus Urbis Romæ studio subiicitur,

quia, si quæritur Auctoritas, Italia certè maior est Urbe: & ut singulos Italiæ Episcopos Episcopus Urbis Romæ auctoritate vincebat, ita omnibus cedere debebat, Hieronymus *ep. ad Evagrium. Si quaritur authoritas, Orbis maior est Vrbe. Vbicunque fuerit Episcopus sive ROMAE, sive EVBVBII, sive Constantinopoli sive Rhegii, eiusdem est meriti, eiusdem est sacerdotii.* Athanasius, *epistola ad Solitariam vitam agentes, p. 640.* Πλείους δὲ ἦσαν Ἐπίσκοποι ὑ ἀπό τε τῆς Ρώμης καὶ τῆς Ἰταλίας πάσης, Καλαβρίας τε καὶ Απουλίας καὶ Καμπανίας &c. Et rursum *p. 243.* Παυλῖνος ἀπὸ Τριβέρων τῆς μητροπόλεως τῶν Γαλλιῶν Ἐπίσκοπος, καὶ Διονύσιος Μεδιολάνων, ἔστι δὲ καὶ αὕτη μητρόπολις τῆς ΙΤΑΛΙΑΣ. Neque enim totius Italiæ, in quâ & Romanus Episcopatus, Mediolanum Metropolis erat, quin potius ut Italiæ omnis, ita & totius Orbis Metropolis *Roma* fuit: Verùm eiusce *Italiæ*, quæ scilicet ultra Episcopi Romani Diœcesim iacebat: de quâ duplici *Italiæ* notione dictum superiore Diatriba abundè *c. 4.* Quo sensu etiam Hieronymus, *Chronico: post Auxentii mortem Mediolani Ambrosio constituto, omnem ad rectam fidem ITALIAM conversam*, scribit: Hinc & Athanasius iterùm, *in apologia de fugâ suâ ad Constantium p. 547.* & apud Theodoretum *lib. 2. c. 15.* ὁ μὲν ἐπίσκοπος, inquit, τῆς ΡΩΜΗΣ Λιβέριος καὶ Παυλῖνος ὁ τῆς μητροπόλεως τῶν Γαλλιῶν, καὶ Διονύσιος ὁ τῆς μητροπόλεως τῆς ΙΤΑΛΙΑΣ.

Omitto alia sciens volens, innumera. Ex his enim vel solis iam satis apparet, à *Romanis* Ecclesiis *Italicas* ut nominibus, ita & inspectione seu κηδεμονίᾳ distinctas fuisse: quarum Metropolis Mediolanum fuerit: ut totius *Italiæ* generalius acceptæ Roma Metropolis erat. Et hoc sanè posteriore sensu Liberius ipse, apud Socratem, *lib. 4. c. 11.* se ἐπίσκοπον Ιταλίας nominat: Λιβέριος inquit, ἐπίσκοπος Ιταλίας, καὶ οἱ κατὰ τὴν δύσιν ἐπίσκοποι: qui idem Liberius aliâs propriè ἐπίσκοπος τῶν Ρωμαίων vel τῆς Ρώμης, ab ipso Athanasio vocatur. Et hanc sanè duplicem *Italiæ* notionem qui non intellexêre, in varia scissi studia pars Romam Mediolano ceu Metropoli, summo supinoque

errore ſupponendam exiſtimavêre: pars contra, *Italiæ* Metropolim Mediolanum perperam negavêre.

Certè hic & illud, prioribus conſequenter, obiter notandum, in Occidente ſummam, ſed æquam Epiſcopi Romani, & Mediolanenſis auctoritatem hâc tempeſtate fuiſſe. Sulpitius Severus noſter, qui circa A. D. 400. ſcripſit, *lib. 2. ſacræ hiſt. Priſcillianiſtæ, ubi Romam pervenêre, Damaſo ſe purgare cupientes, ne in conſpectum quidem eius admiſſi ſunt. Regreſſi Mediolanum AEQVE adverſantem ſibi Ambroſium repererunt. Tum vertêre conſilia, ut quia DVOBVS Epiſcopis, quorum ea tempeſtate SVMMA AVCTORITAS erat, non illuſerant, largiendo & ambiendo ab Imperatore cupita extorquerent.* Hinc etiam frequenter conſulti hâc tempeſtate ſimul, Romanus, & Mediolanenſis Epiſcopi à Patribus Africanis a. 397. & 401. Gallicanis in causâ Felicis. Hiſpaniarum, in cauſa Priſcillianiſtarum: ut ex Codice canonum Eccleſiæ Africanæ *canone 47. p. 163. 164.* Concilio Taurinenſi, Toletano I. conſtat. Eademq; prorſus Mediolanenſi Epiſcopo, quæ Romano aliisq; iura competiiſſe D. Ambroſii hiſtoria, quæq; poſtea inter Romanos Epiſcopos & Mediolanenſes interceſſêrunt, manifeſtiſſimè teſtantur.

Hæc de Italiâ, cuius Mediolanum Metropolis erat, ab Epiſcopatu Romano ſeparata. *Siciliam* pariter, continuam quamlibet Italiæ provinciam, ad Suburbicarias provincias, præfecturæq; Urbicariæ Diœceſim non pertinuiſſe ſuperiore Diatriba ut oſtendimus: ita nec ad Suburbicarias Eccleſias & Epiſcopatum Urbis Romæ illa ſpectavit. Ne quidem longè poſt: teſtatur enim Balſamo, *in 2. Canon. Concilii Conſtantinopolitani*, Siciliam Patriarchæ Conſtantinopolitano ſuppoſitam fuiſſe: nempe, ut arbitratu proclive, poſtquam Juſtinianus provocationes à Siciliæ Judicibus ad Præfectum Prætorio Italiæ anteà fieri ſolitas (ut *ex l. 27. C. Th. de appellat.* conſtat.) Quæſtori in Urbe Conſtantinopolitanâ delegaſſet. *Novella 75.* (cuius epitomen etiam Julianus edidit) & *Novella 104.* Secutâ proinde civilem typum & hac parte Eccleſiaſtica forma ſeu Diœceſis.

Jam

Jam itaque clarum erit, quid B. Ignatius, ad Romanam Ecclesiam scribens, sibi voluerit, cum hoc epistolæ πρόσρημα præmitteret. Τῇ ἐκκλησίᾳ ἥτις προκάθηται ἐν τόπῳ ΧΩΡΙΟΥ τῶν Ρωμαίων. Χωρίον enim τῶν Ρωμαίων est Urbis Romæ Diœcesis, Urbicaria Diœcesis. Χωρίον Ρωμαίων, ut ἐπίσκοπος Ρωμαίων. Χωρίον pro Diœcesi: ut in Concilio Calchedonensi, *actione 15.* Episcopi Ægyptiacæ regionis, & alibi sæpè. Χώρα ἡ ὑπὸ πόλιν, seu τῆς πόλεως alibi.

CAPUT IV.

BARONII, Bellarmini, aliorum obiectionibus occurritur. Canon 6. Nicænus non mutilus. In Concilio prolata, *& à Concilio* probata *toto cælo differunt. Calchedonensis Concilii iudicium de canone 6. Nicæno. Judicatum à Concilio Oecumenico ut retractet Baronius, domestico testimonio nititur: Idem alibi iudicato contrarium affingit. Comparationem Ep. Alexandrini cum Episcopo Romano trahit in delegationis argumentum. Canonis Nicæni argumenta duo firmandæ Episcopi Alexandrini Diœcesi: Mos scilicet, & exemplum Episcopi Romani. Fallacia divisionis apud Baronium, Bellarminum frequens. ET particula, similesq; variis locis expensæ. Exemplum in dominationis argumentum vertit Baronius. Comparationis Episcopi*

scopi

ſcopi Alexandrini Romani Canone Nicæno facta vis & ratio.

HÆc quæ ſuperioribus capitibus ex incorruptâ veteris memoriæ veritate à nobis repetita fuerunt, ut certiſſima ſint, ſunt nihilominus tamen qui poſt hæc omnia ipſius primùm Canonis Nicæni ſententiam, deinde & Rufini fidem eludere magno molimine conantur.

Primùm enim mutilum Canonem Nicænum Sextum, capiteq; ſuo truncatum ad nos perveniſſe iactare ſolent; & hæc nominatim verba deſiderari, *Quod Eccleſia Romana ſemper habuit primatum*. Verùm, quibus quæſo id argumentis, quâve legitimarum probationum vi, adverſus tot Scriptorum, Eccleſiarum, Patrum, totiusq; ſincerioris Antiquitatis fidem evincunt? Paſchaſini nempe, Epiſcopi Romani in Calchedonenſi Concilio Legati, allegatione, qui ſanè cum præfatione illa (quam hodie deſiderari dicunt, certè quæ nullibi reperta, ſed neque à Gregorio XIII. in recognitione Decreti agnita) Nicænum Canonem totidem verbis retitaſſe legitur: Cuius fidem ſecutus poſteà, ducentis circiter poſt Nicænam Synodum annis, Dionyſius Exiguus: cuius ut fidem nobis probet Baronius, Caſſiodori laudes in eum congerit. Verùm, bonam iuxta mecum fidem hîc agnoſcant Baronius, Bellarminus, alii: Certè, IN Concilio Calchedonenſi Oecumenico ita laudatum Canonem à Paſchaſino lubentes agnoſcimus; verùm A Concilio repudiatum palàm & apertè proffteantur illi. Nempe mos hic & alibi Baronio in Conciliis prolata pro probatis ſtatim, ſive palàm, ſive tacitè, interpretandi. Quâ certè Baronii lege nulla non iam hæreſis Conciliis nixa deprehendetur. Itaq; res ſic habet. Cùm æqua Conſtantinopolitani Epiſcopi cum Romano à Calchedonenſibus Patribus privilegia confirmata fuiſſent, atq; Leonis Ep. Romani Legati, illo Canonis Sexti Nicæni ad-

ditamento in eam rem producto, intercederent, ab universâ Synodo, nullâ istius προσθήκης ratione habita, Constantinopolitani Episcopi privilegia nihilominus confirmata fuêre, ut ipsius Concilii acta testantur, & Liberatus, *in Breviario, capite decimo tertio*. & vel Leonis ipsius epistolæ, contra id protestantis, evincunt. Quâ igitur quæso fronte domesticum seu de domo, & de sinu proprio prolatum olim testimonium, ante mille ducentos fermè annos de falso convictum, præiudicatum, totius orbis consensui, Concilio, inquam, Oecumenico, sexcentis triginta patribus præferre, insigni Sanctissimorum virorum iniuriâ, qui alioquin nil nisi Patres & Concilia crepare solent, falsaque instrumenta de quibus ritè pronunciatum reponere atque in scenam revocare post tot sæcula denuò, dicendi sunt? Imò qua fronte Baronius, Bellarminus, alii, Patres Calchedonenses Nicæni Canonis recitationem à Paschasino factam probasse, iactare credendi? Eadem scilicet, quâ, si Deo placet, Gratianus (*secunda quæstione sextâ, capitulo placuit 35.*) Concilio Milevitano, quo nominatim *Transmarinæ, seu ad Episcopum Vrbis Romæ, appellationes damnatæ fuerant*, appellationes ad Episcopum Romanum exceptas credi voluit. Scilicet solemne istis est, oculis clausis negare, qui non credunt factum esse, quod nolunt.

Verùm, quia hâc minùs successurum vel ipsi iam vident, mutata velificatione contrariam huic planè tentatum eunt viam, non iam aliquid Canoni deesse fingentes, veram variis & vafris Expositionibus Canonis sententiam eludere satagentes. De quibus nil tale cogitatum olim pari prorsus occasione mirari subit: Hebeti videlicet tum sæculo, neque his adhuc artibus erudito: Certè, Leonem nil simile cogitasse, additamentum illud, de quo paulò ante dixi, quo solo ille in Concilio Calchedonensi nitebatur, manifestissimè ostendit: Non omissurus alioquin Primatui obtinendo tam elegantes interpretationes, saltem velut sub-

sidia-

ſidiarias. Baronii itaque, Bellarmini, & aliorum ſententia hæc eſt: *Alexandrinum Epiſcopum debere gubernare illas provincias, quia Romanus Epiſc. ita conſuevit*, i. *quia Epiſcopus Romanus ante omnem Conciliorum definitionem conſuevit PERMITTERE Epiſcopo Alexandrino regimen Aegypti* &c. ſive *conſuevit PER Alexandrinum Epiſcopum illas provincias gubernare*.

Primum, edant iſti quæſo mihi Delegationis iſtius hactenus exemplum vel unicum, non iam ex profligatæ fidei ſcriptoribus, quod ſolemne iſtis, verùm exceptione omni maioribus.

Deinde hîc ego Bellarmini, Baronii fidem & conſcientiam interpello. Canonis verba ſuperius prolata (faſtidiosè hic repetenda) inſpiciantur vel leviter obſecro, num ex illis aliquod vel minimum delegationis argumentum quibuscunq; fidiculis exprimi poteſt? Contrà, non illis apertiſſimè, COMPARATIO Epiſcopi Alexandrini & Romani inſtituitur; hæc videlicet: Ut quemadmodum Epiſcopi Urbis Romæ mos hic eſt, ut intra Præfecturam Urbis omnem Diœceſim ſuam extendat, ita & in Alexandrinæ Urbis Epiſcopo parilis mos ſervetur? Duobus proinde argumentis Canon Diœceſim Alexandrini Epiſcopi elegantiſſimè firmat: primò, MORE ANTIQUO, cùm ait, *τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω*: deinde & ratione à pari *i.* EXEMPLO, moris & conſuetudinis parilis ſeu ſimilis: *ἐπειδὴ*, inquit, ΚΑῚ *τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ* ΤΟΥ͂ΤΟ *συνηθές ἐστιν*: & ut Gratianus ea effert (comparativo verbo *PARILIS* in hac re rectè uſus) *quandoquidem ET Epiſcopo Romano PARILIS mos eſt*: quaſi diceret; non tantùm MORE ANTIQVITUS à ſe ſervato, Alexandrinus Epiſcopus Diœceſim ſuam per omnes Præfecturæ Ægypti provincias, tueri poteſt: verùm ETIAM ſimili vel parili Epiſcopi Romani more. Quæſo ſi ex delegatione Epiſc. Romani ius iſtud Alexandrinus haberet, cur MORI antiquo id Nicæni Patres tribuerent: aut ſi *Morem antiquum*, pro *conſueta Epiſcopi Romani delegatione* intelligebant, cur novæ & ſecundæ Ratio-

nis à pari scilicet desumptæ particulam & notam ΚΑΙ subiicerent. ΕΠΕΙΔΗ ΚΑΙ ΤΟΥΤΟ, &c? Hunc nodum solvant illi mihi, quibus solenne fallere *Rerum coniunctarum divisione*. Inimicum ac infestum mehercle nimis defensoribus istis λεπτὸν hoc ΚΑΙ, similiaque, quibus vel solis quia in ordinem sæpius quàm velint cogi, atque ad communem revocari matellam Episcopum Romanum quia vident, clausis ea oculis locis variis præterire fas ducunt. E multis, quæ nos alibi cum curâ cum bobo Dei nutu digeremus, sint hæc interim. Constantinus Imp. *in ep. ad Chrestum Episcopum Syracusanum*, apud Eusebium, *lib. 10. c. 5*, data. a. d. 316. (ut alibi ostendemus) de Donatistarum in Concilio iussu eius Romæ habito condemnatione; παρόντος, inquit, τε ΚΑΙ ȣ̓ τῆς Ῥώμης ἐπισκόπȣ: & de eadem re in epistola ad Ablavium (P P. scilicet) ex P. Pithoei nostri Bibliothecâ eruta; *Nam etiam ad supradictam Vrbem Romam nostram, quosdam Episcopos ex Galliis ire præceperam, ut tam hi pro integritate suæ vitæ, atq; laudabili instituto, sed & septem eiusdem communionis, quàm ETIAM Vrbis Romæ Episcopi atq; illi qui cum iisdem cognoscerent, possent rei quæ videtur esse commota, finem debitum adhibere*. Item Optatus Afer Milevitanus, de eodem Concilio, *lib. 1. Cæcilianus OMNIVM supramemoratorum sententiis innocens est pronunciatus, ETIAM Miltiadis sententia, qua iudicium clausum est*. Et, si Paganus sententiæ alicuius hîc dicendæ per eos ius habet (sed habet per Baronium, *in a. 367. num. 8. 9.*) Ammianus *lib. 15*, de Athanasii damnatione & Liberio Ep. Romano agens. *Hunc* (Athanasium) *per subscriptionem abiicere Sede Sacerdotali PARIA sentiens cæteris, iubente Principe Liberius monitus renitebatur* &c. *apertè recalcitrans Imperatoris arbitrio. Id enim ille, Athanasio semper infestus, licet sciret IMPLETVM, tamen auctoritate QVOQVE, quâ potiores æternæ Vrbis Episcopi, firmari desiderio nitebatur ardenti*. Et post hæc omnia tamen, si Deo placet, unius Episcopi Romani iudicio Ecclesiastica res omnis stetit olim; cæteris Episcopis κωφὸν πρόσωπον in Ecclesia tantumnon exhibentibus.

Verùm

Verùm ad rem, ne nunc incepto longius abierim. Recta proinde, ut vidimus, Concilii Nicæni ratio & ratiocinatio est; his scilicet verbis, ἐπειδὴ ΚΑΙ &c. iuxta morem ab Episcopo Alexandrino antiquitus servatum, hoc ALTERO argumento seu ratione, Exemplo puta Episcopi Romani, Diœceseos Ep. Alexandrini MODUS firmatur. Quid est igitur quod ex eo colligunt Baronius, Bellarminus, eosque secuti alii, Romanam Ecclesiam UNAM hoc Canone Ecclesiarum aliarum REGULAM declarari, & ab Ecclesiæ Romanæ forma ὡς ἀπὸ ἀρχετύπου desumptam Alexandrini Patriarchatus formam, & STATUM constitutum. Eho! fidem tuam Lector. *Exempla* itaque iam & *rationes à pari* quot occurrent, tot dominationis erunt istis documenta: & quod alteri simile dicitur, non iam simile sed servile censebitur? Quæ Ecclesia ab altera *exemplum*, cuiuscunque rei (puta diœceseos, vel etiam fidei aliquando) petierit, liberam ideò præiudicio se negaverit? Cuius exemplum inductum in argumentum fuerit, alteram sibi subiecerit, in servitutem deduxerit? Verùm solemne hoc Baronio, EXEMPLA in MONARCHIÆ argumentum traducere. De quo & similibus Baronii, Bellarmini κρυφίοις nos alibi cum curà.

At cecidit nuper tertius è cœlo Cato. Is igitur comparari quidem (quod negant ad unum omnes alii) hoc Canone Nicæno Ægyptiacas Ecclesias (ad Alexandrini Episcopi Diœcesim pertinentes) cum Suburbicariis (ad Episcopi Romani Diœcesim spectantibus) fatetur: verùm, non ideò inferri, nullas præter Suburbicariarum Ecclesiarum Romano Episcopo Diœceses subditas fuisse: Mox, velut victoriâ partâ lectorem compellens: *Quid clarius*, inquit, *quid apertius*, *nihil de summa hic Auctoritate TOTIVSq; Ecclesiæ procuratione detrahi vides*. Inauditum argumenti genus, quod non admittendum putaret is, si quarum hoc Canone rerum comparatio institueretur, cuiusque rei ergò conditus hic Canon fuerit, ut & ipsi putant, ita τὸ ἑπόμενον illius viderent.

Meletius enim, Lycopolitanus in Thebaide Episcopus

ſchiſmate in Eccleſiam Alexandrinam invecto, Alexandrini Epiſcopi iura turbatum, & in Diœceſi eius Epiſcopos creatum iverat: *exercens* (ut Theodoretus *lib. 1. c. 9.* ait) *tyrannidis ſpeciem*: τυραννίδι κατὰ τῆς Ἀλεξανδρέων χρώμενος προεδρίας. Itaque Nicæno Concilio firmata Alexandrini Epiſcopi Diœceſis & poteſtas & Meletii Lycopolitani Epiſcopi ambitio repreſſa: Eccleſiaſtica videlicet poteſtate omni Alexandrino Epiſcopo iuxta morem antiquum per omnes Ægyptiacæ Præfecturæ provincias tributâ his verbis: ὥστε ΠΆΝΤΩΝ τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν: Idque, ut MORE ANTIQUO, ſic ET exemplo Epiſcopi Romani firmatur, nempe, quòd ET ille eodem MORE per OMNES pariter τῆς ἘΠΑΡΧΊΑΣ ſeu Præfecturæ Urbicariæ provincias Diœceſim ſuam protenderet. Itaque tantùm abeſt Epiſcopus Urbis Romæ aliarum Eccleſiarum ſibi curam iure tùm vindicaverit vel vindicare potuerit, ut contrà Suburbicariarum διοίκησιν ſolo MORE antiquo, & quidem ἘΠΑΡΧΊΑΣ ſeu Præfecturæ Urbicariæ exemplo tueri poſſet: non igitur Lege, multò minus Decreto aut ordinatione divina: Non aliter, quàm Alexandrinus & Antiochenus Diœceſes ſuas (quæ à Romanâ clare hoc Canone diſtinguuntur) MORE antiquo defendebant. MODUS proinde & Amplitudo conſuetæ ſeu ſolitæ Diœceſeos Epiſcopi Alexandrini hoc Canone firmatur, exemplo à MODO Romanæ Diœceſeos petito.

Simplicior his omnibus Gloſſator Decreti, cùm æſtuans is, & pedem figere neſcius, hoc Canone Alexandrinum Epiſcopum cum Romano i. *Conſtantinopolitano* Epiſcopo contendi ſeu comparari tentat. Riſu tantum excipienda hâc literarum luce, ſententia; & cui refutandæ bonas horas impendiſſe & ipſum ridiculum fuerit.

CAPUT

CAPVT V.

EPISCOPI Romani Diœcesis seu Patriarchatus aliis Maior, & cur. Dignitas Principum, Magistratuum, Episcoporum, non à latitudine seu amplitudine terrarum & Diœceseon, sed à Dignitate, & earum qualitate. DIOECESIS, pro provinciâ & parochiâ. Μεγάλη *seu magna;* & Βασίλισσα *seu Regina, Romæ epitheta. Auctoritas Vrbis Romæ. Comparatio Episcoporum quæ sexto Canone Nicœno fit, in quo consistat.*

HIs deiecti præsidiis, ad verisimilitudines suas, nudasq; de more confugiunt, Bellarminus, aliique coniecturas: Sic enim putant & disputant illi: *si Episcopi Romani, qui PRIMVS est inter Patriarchas, Diœcesis ita definita fuisset, ut videlicet Suburbicariis tantum Ecclesiis præesset, dicendum foret, ampliorem Ecclesiæ Alexandrinæ & Antiochenæ, quàm Romanæ circumscriptam Diœcesim: Quod absurdum videtur.* Primùm, incusent isti quiqui sint, *Mores antiquos*, quibus hæc olim Diœceseon distributio facta fuit, & quos Nicæni Patres hâc parte religiosè servari iubent: quibus solis denique Diœceseon iura niti Canon ille sextus docet. Incusent illi eâdem operâ Sanctissimorum olim Episcoporum Romanorum socordiam, qui iura Episcopatus Romani prodidissent, sibique tantopere fuissent.

Verùm, ut quod verum est aperiam, nullus querimoniæ locus hâc parte iustus esse potest: contra, iustissima omnium

omnium huic partitioni adquiescendi ratio: non una de causa. Primùm enim Præfectura Urbicaria illis ipsis Diœceseos terminis circumscribebatur, ad cuius Præfecturæ Umbram Episcopus Urbicus Diœcesim illam integram sortitus fuerat. Deinde, si amplissima fuit Ægypti vel Orientis Diœcesis, at multò certè Nobilior & illustrior pars illa Italiæ, in quâ Roma ipsa totius orbis caput, Arx, & vertex, & Imperii sedes, domicilium, materq;. *Prima Vrbes inter divûm domus, aurea Roma*. Scilicet, ut inter Sæculi Principes non magis Imperii, finiumq; amplitudo, quàm terrarum gentiumq, quibus imperant dignitas summam præ cæteris Maiestatem conciliare solet: Ita & inter Episcopos, Diœceseon dignitas & auctoritas non latitudo attendenda: Et in Romano nominatim Episcopatu, vel ipsius Præfecti Urbi exemplo, cuius typum & umbram secutus ille: Nam quis est qui nesciat Præfecturam Prætorio administrationem Urbicarii Præfecti Diœcesim amplitudine longè superasse? & tamen Præfectum Urbi, & Præfectum Prætorio indiscretæ dignitatis fuisse docet *lex 1. Cod. Theod. de Præfectis Prætorio sive Vrbis*. Imò, si verum amamus, Præfectum Urbi in aliquibus Præfecto Prætorio aliquando dignitate potiorem fuisse, fateri necesse est.

Opponant igitur ambitiosi isti amplissimis Diœcesibus aliis Magnitudinem (ut de eâ loquuntur Ammianus *lib. 27.* & Hieronymus) i. Auctoritatem & Dignitatem Urbis, frequentiamque Ecclesiæ Romanæ, adde & Divitias, ex oblationibus fermè matronarum, quæsitas, ut Ammianus notat, & specialem Diœcesim Romanam aliis velut maiorem longè prælatam volent. Idque senserunt etiam olim Arelatensis Concilii primi Patres, sub Constantino M, a. d. 316. (non 314. quod Balduinus, & Baronius temerè voluerunt,) in Synodali ad Sylvestrum epistolâ, (quâ scilicet illi pro more in Ecclesia recepto, ut decreta à se in aliorum notitiam deferret, negotium dabant) *PLACVIT etiam, antequam* * *à te, qui MAIORES DIOECESES TENES per te POTISSIMVM omnibus insinuari*. Non itaque totus orbis, Diœcesis fuit Episcopi Romani

mani, imò perpaucæ Ecclesiæ: nam hoc loco *Diœceseos* appellatione ne quidem iuncta plurium provinciarum administratio (ne sibi placere per temporum, ac Chronologiæ inscitiam pergant nonnulli) verùm Provinciæ, Episcopatus, vel etiam Ecclesiæ singulæ & parochiæ designantur. Quâ notione solâ, ante divisum à Constantino M. Imperium, *Diœceseos* appellatio accepta fuit. Ante Arelatenses quoq; Patres sub Gentilibus Imperatoribus Irenæus noster, *lib. 3. c. 3.* Romanam Ecclesiam MAXIMAM vocat, & Antiquissimam, & omnibus cognitam.

Orientales Episcopi quoq;, apud Sozomenum, *lib 3. c. 7.* Ecclesias suas à Romanis μεγέθει καὶ πλήθει vinci fatentur. Et certè Romanæ, in ea Diœcesi, Urbis obtentu, & Primatum honoris seu προεδρίαν primitus Episcopum Romanum meruisse iam ostendimus: Deinde verò κλημακίδον, *Principalis huius confessionis* (utor Irenæi verbis) occasione, animos ei dantis, Imperium quod nunc obtinet, latissimè καὶ εἰς τὸ ὑπερῷον, oppressâ primùm collegarum libertate extulisse, res & experientia testantur. *Qui pote plus urget: pisces ut sæpè minutos Magnus comest, ut aves enecat accipiter.* Ut ad hanc olim auctoritatem ab Urbis Romæ dignitate, divitiasque respiciens Prætexatus, teste Hieronymo, *ep. ad Pammachium, adversus errores Ioannis Hierosolymitani, fol. 75. b. tom. 3.* solitus sit ludens ipsi Damaso Episcopo dicere: *Facite me ROMANAE VRBIS Episcopum, & ero protinus Christianus.* Ut his omnibus attentis iam Lucani illud hîc rectè usurpaturus mihi videar:

QUID SATIS est, SI ROMA PARUM (est) Τίς γὰρ ὁμοία τῇ πόλει τῇ μεγάλῃ? Ideò quoq; ΜΕΓΑΛΗΣ titulo præcipui iure quodam ornata etiam ab Athanasio, *in ep. ad solitariam vitam agentes,* & Libanio in βασιλικῷ, *p. 10.* in f. & *p. 12. in pr.* Eunapio, aliis: seu MAGNÆ, à Varrone, *Bimarco apud Nonium in voce manducones:* Cicerone, Horatio, Statio, Claudiano, Symmacho, aliis. Βασιλεύουσαν sanè: & βασιλεύουσαν seu *Reginã* dictam Romam notius est, quàm ut demonstrari id à me oporteat,

I

vel suscepti nunc operis fides, vel etiam brevitas, patiatur.

Itaque sic breviter concludendum: *Comparationem*, quæ Canone sexto Nicæno inter Episcopum Romanum & Alexandrinum instituitur, non in ipso *spatio* & latitudine terrarum, verùm in *Causâ* quæ Diœceseon iura constituit, puta ipsarum *Præfecturarum* Diœcesi, consistere.

Locus hic nunc exigere videbatur, ut & Græcorum sequioris ævi, Theodori videlicet, Balsamonis, Nili, Barlaami, aliorum, Canonis Sexti Nicæni sive explicationes, sive enarrationes, refellerem: Nisi ab omnibus, Bellarmino etiam, Baronio, velut falsæ traducerentur. Itaque huic rei supersedendum duco satius.

CAPUT VI.

Rufini *explicatio Canonis Sexti Nicæni vindicatur.* Vel, *pro* Et, *apud Rufinum & Gratianum. Rufini* ἑλληνισμὸς. Vel, *pro* Et, *sapè. Rufinus, non quia quandoq; humanitùs peccat, ideò semper: Hieronymi vel unius exemplo firmatur. Ecclesiastica Rufini historia, & Canonum ab eo Nicænorum epitomatorum prisca auctoritas. Consensus Occidentalium & Orientalium Canonum Nicænorum. Vis & potestas cuiusq; rei magis, quàm verba attendenda.*

HÆc de Canone Nicæno ipso: In Rufinum iniquitas non minor; imò maior, quò clarioribus adhuc verbis Episcopi Romani Maiestas ab eo, ut volunt, imminuta, sic ut alienis iam interpretationibus eludi verba eius minùs possint.

ſint. Ea proinde & hîc repetenda nobis, quò videlicet in conſpectu poſita omnium, unde de plano legi poſſint, & adverſariorum tela ſimùl excipiant & repellant: *Vt apud Alexandriam*, (inquit Rufinus) *& in Vrbe Româ vetuſta conſuetudo ſervetur; ut vel ille Aegypti, vel hic Suburbicariarum Eccleſiarum ſolicitudinem gerat.*

Hîc primùm exclamat Baronius, horum verborum nec ullum ſenſum elici poſſe: Quid enim ſibi velint iſta: *ut vel ille, vel hic*. Quibus ſanè verbis Baronius, etſi vincat, illud efficiet hactenùs, ut Rufinum elegantiam & proprietatem linguæ Latinæ non ubique aſſecutum credamus. Magnum verò crimen Cæſar. Et quis Veterum non huic aliquando affinis? Imò quod ab ipſo Gratiano in hoc ipſo Canone admiſſum Baronius non attendit: *Mos antiquus* (inquit Gratianus) *perduret in Aegypto, VEL Libya & Pentapoli*, cùm debuerit, *& Libya*: ſic enim in ipſo Canone eſt: ΚΑῚ ΛΙΒΎΗι. Niſi putemus, Pontificis Romani auctoritate βαρβαρισμὸν ἐ βαρβαρίζειν. Quanquàm & neque exemplis res iſta caret, ut diſiunctiva VEL pro ET ſæpè accipiatur, ut Paulus, *in l. ſæpè 53. §. 4. π. de V. S.* docet, & teſtatur *lex 27. ff. de Rei Vindicat*: Simplicius quoque, *ad 4. Phyſic. Ariſt.*, Homerum ἢ νέος ΗΈ παλαιὸς, ἀντὶ τοῦ νέος ΚΑῚ παλαιὸς dixiſſe notat: Breviter, VEL non διάζευξις ſemper eſt, ſed quandoque παραδιάζευξις, ut loquitur *lex 4. Cod. de Verb. ſignific.* Quod hîc eò facilius admittendum puto, quòd Authenticum ipſum Canonis à Rufino in epitomen contracti ſuperſit, ad cuius fontem & veritatem recurrendo inſolentioris paulò locutionis huius interpretatio exigi poteſt. Ne nunc & illud addam, ipſiſmet diverſarum partium nonnullis aliter legendum hunc Rufini locum videri: certè, ita commodiſſimè; *ut ille Aegypti, velut hic*. Id enim ratiocinationi Canonis convenientiſſimum eſt. Verùm ita ſentio, nil immutandum, ſed Rufinum hîc more ſolito ἑλληνίζειν, ὡς τε ἐκεῖνος Αἰγύπτου, οὗτος τε. Hùc itaque iam apprimè faciet Hieronymi locus ille, ad ipſummet Rufinum, ſcribentis, etiam à Baronio laudatus, *Apolog. 3. Tantam*

habes, inquit, *Græci & Latini Sermonis ſcientiam, ut Græci te Latinum, & LATINI GRAECVM putent.*

Alterum, quod Baronius animosè adverſus Rufinum excipit, tale eſt: *Omittimus*, inquit, *recentiorum querelas de translatione Euſebii ab ipſo perperam facta in ſugillationem hominis ignorantiæ & nimis licentioſæ libertatis, cùm addiderit quæ voluit, & alia ex animi voluntate deleverit.* Addit, *parſurum ſe ipſi libenter, niſi de re omnium graviſſimâ quæſtio verteretur.*

Age, multa per inſcitiam, audacter multa, apud Rufinum commiſſa deprehendant Viri Docti, eumq; in partes iure meritò non ſemel vocare videantur: verùm ut in hac nominatim, de Suburbicariis Eccleſiis ſeu Epiſcopi Romani Diœceſi, controverſiâ, idem efficias, Canonis Nicœni ſententiam aliam fuiſſe probari oportet: neque uno ideo prologuio, elogio, damnanda, unave ſpongiâ expungenda omnia Rufini ſcripta: alioquin vel hâc lege iam omnium Patrum ſcripta unâ liturâ inducenda erunt: vel ipſius Hieronymi, cui cum Rufino nunquàm benè convenit, in quo certè pueriles penè lapſus & errores non unius generis detegere licet. Et cæteroquin complura apud Rufinum elegantiſſimè dicta, verſa deprehendunt viri ſagaciſſimi: Quod vel hic ipſe locus, *Suburbicariarumq; Eccleſiarum* elegans appellatio, λευκότερον καὶ συντόμως ὡς ἐκ παραλλήλου (ut loquuti Catholici adverſus Arianos) ab eo in huius Canonis explicatione uſurpata, pro Eccleſiis ſcilicet, quæ per ἘΠΑΡΧΊΑΝ ſeu Præfecturam, Urbis ſcilicet, ſitæ, evidentiſſimè oſtendit: Quo certè neq; melius, neq; à quoquam felicius quicquam excogitari potuit. Addam tamen & aliud, non minus elegans, ex eiuſdem Concilii Nicæni, *Canone 3.* quo ſcil. Epiſcopis, & Clericis extranearum mulierum conſortio interdicitur. Nam quam συνείσακτον γυναῖκα Canon vocat, eam aptiſſimè Rufinus *extraneam mulierem* reddidit: Nam & cum Græca voce *extranearum* appellatio convenit: ſub Honorio Imp. in *l. eum qui probabilem 44. Cod. Th. de Epiſcopis.* eodem planè ſenſu uſurpata. At minus propriè vel etiam barbarè cæteri fermè,

qui

qui ſubintroductas, intromiſſas, *adſcititias*, vertunt. Præterea in iis potiſſimùm quæ temporibus Rufini eiusq; ſedibus proxima fuêre, quis quæſo temerè fidem ei derogare ſuſtineat? Neſciverit ſcilicet Rufinus, Nicæno Concilio proximus, quid & quantum Epiſcopis More Antiquo tributum & Conciliis relictum fuerit? Neſciverit, Rufinus, Aquileienſis Presbyter, Romæ proximus, quæ quantave ævo ſuo Epiſcopi Urbis Romæ Diœceſis fuerit.

Verùm, quid coniecturas nudas præſumptionibus verioribus elidimus, cùm præter ſingularem Canonis Nicæni cum Rufini interpretatione conſenſum, Hiſtoriam Eccleſiaſticam Rufini, quin & ipſiſſimum Nicænorum Canonum exemplar, ab antiquis iam inde retrò temporibus à Rufino velut Authentico repetimos fuerit: Ita, Nicæno Concilio. 2. *actione 1.* cùm de Epiſcopis ab hæreſi revertentibus inpriſtinum ſtatum recipiendis ageretur, locus, ἐκ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας Ῥουφίνου πρεσβυτέρου, citatus fuit, *ex libro* videlicet eius *1. c. 28.* Imò longè antè, paulò poſt Rufini ipſius obitum, de Canonibus Concilii Nicæni conſultus à Patribus Africanis, A. D. 419. Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus, præterquam τὰ πιστότατα ἴσα, *fideliſſima exemplaria*, Synodi Nicænæ ad eos miſit, ad Hiſtoriam tamen Eccleſiaſticam (Rufini ſcilicet) provocat, eosque remittit, ὅπερ, inquit, καὶ ἐν τῇ ἐκκλησιαστικῇ ἱστορίᾳ ζητοῦντες εὑρήσετε. Id verò quod indicat, extat Rufini *lib. 1. c. 6.* Factum porrò id à Cyrillo, quò Canonum Nicænorum apud Orientales, cum iis quos Occidentales ſervarent, conſenſum oſtenderet. Eâdem prorſus ratione, quâ in Concilio Calchedonenſi, cùm de huius ipſius Sexti Canonis Nicæni veritate ageretur, Euſebius Dorilei Epiſcopus, eum prout ab Aëtio Conſtantinopolitano traditus, & à Conſtantino recitatus fuerat, *à ſe in Vrbe Roma ipſi Papæ relectum & à Papa ſuſceptum* profeſſus eſt, ut Concilii Calchedon. acta teſtantur.

Verum, quid adhuc aliunde & de via ſuffragia colligo? cum ipſi etiam olim Epiſcopi Romani Eccleſiaſticam Rufini Hiſto-

riam decretis suis adprobaverint. Hincmarus Rhemensis, *adversus Hincmarum Laudunensem cap. 21. p. 100. Decimus*, * inquit, *Historiæ Ecclesiasticæ liber Rufini, qui in catalogo Apostolicæ Sedis inter recipiendos libros describitur, apertè ostendit, post confessionem fidei*, &c.

Gelasius certè, in Concilio habito Romæ, cum 70. Episcopis, *distinct. 15. c. Sancta Romana 3.* Ecclesiasticos Rufini libros adprobavit, eâ tantùm parte excepta, quâ Hieronymus eum de arbitrii libertate notavit: In COETERIS itaque probavit.

Facessat proinde nunc & Bellarmini eumq; secutorum iniquior in Rufinum sententia, interpretationem eius meram divinationem appellantium: hac videlicet egregia ratione, *quod Suburbicariarum Ecclesiarum in Canone Nicano nulla prorsus extet mentio*, proinde, falsam Rufini interpretationem. Quod cum audio, ipsissimam Arrianorum λογομάχων μανίαν & obstinationem audire mihi videor, qui adversus Catholicos eo potissimùm obstrepere soliti, ὅτι ἄγραφός ἐστι ἡ ὉΜΟΟΥΣΙΟΥ ἡ λέξις: quod in sacrâ scripturâ vox *Consubstantialis* non extaret, sed exotica esset & peregrina. Sæva alioquin mehercle Lex, ad quam nemo Interpretem, multò minùs Epitomatorem ullum adstringendum iure putavit: vim enim & potestatem cuiusq; rei servanti, à verbis recessisse, cui quæso fraudi esse potest: Præter notissimum illud, *Nec verbum verbo curabit reddere fidus Interpres* Hieronymus in Epistolis (ut similes locos omittam) *Ea interpretandi sequenda est Regula, quam sæpè diximus, ut ubi non sit damnum in sensu, linguæ in quam transferimus PROPRIETAS & elegantia servetur.* Alioquin hâc vel simili iam lege, vel Sanctissimi Apostoli vel Evangelistæ (absit hæc impietas) loca é veteri testamento laudantes conveniendi Bellarmino erunt. Certè, cùm Canon Nicænus ΕΠΑΡΧΙΑΣ suæ, Episcopum Urbis Romæ, regionum OMNIUM, quas *Suburbicarias* dictas probavimus, potestatem habuisse, prodat, quid aliud quæso dicit, quàm Episcopum Romanum Suburbicariarum Ecclesiarum solicitudinem

nem gessisse? Elegàns, ut omittam alia, Chrysostomi dictum. *ad c. 2. prior. ad Corinth. 9.* λέγεται ΓΕΕΓΡΑΠΘΑΙ, καὶ ὅταν τὸ αὐτὸ μὲν νόημα κείμενον ᾖ, μὴ ἐπ' αὐτῶν δὲ τῶν ῥημάτων, i. *Dicitur SCRIPTVM, & cum eadem mens expressa est, licet non iisdem verbis:* Jubet hoc candor Christianus, μὴ τῇ διαφορᾷ τῶν ῥημάτων προσέχειν, ἀλλὰ τῇ ταυτότητι τῶν πραγμάτων. Ut in hoc eodem argumento loquutus Græcorum aliquis.

Ex his itaq; nunc omnibus apparet, & Concilii Nicæni rationes optimas, & elegantissimas esse, & rectè Concilii sententiam Rufinum exposuisse. Contrà quam Bellarmino visum concludere: cuius hæc verba: *Igitur aut ratio Concilii nihil valet, aut non rectè Concilii sententiam Rufinus exposuit.*

Eant nunc igitur illi, & Concilia, Patresq; nobis oggerant, qui de Conciliorum decretis, Patrumque scriptis tam magnificè sentiunt, tam benè merentur: vel fidem iis summâ audacia & temeritate derogantes, vel manifestissimas eorum sententias frigidis interpretationibus eludentes. Nobis hæc stabit semper sententia, in his de POLITIA ECCLESIASTICA controversiis historicis, Conciliis, & Patrum antiquiorum testimoniis adhærere: nulliq; fidem temerè detrahere.

BENIGNE LECTOR.

Quæ prioris Diatribæ capite secundo, *de Vicariis & Præfectis* notavi, ea non sic accipi velim, quasi soli hi Diœceses rexerint (erant enim & alii, veluti *Proconsul Asiæ, & Comes Orientis*) verùm, quia de his tantùm agi argumenti ratio suadebat.

FINIS.